This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



DE ARCHITHRENIO

DUODECIMI SÆCULI CARMINE

ALIISQUE EIUSDEM ÆTATIS

POEMATIS ALLEGORICIS

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

HANC THESIM PROPONEBAT

J. SIMLER

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN, EDITOREM

VIA DICTA DE MÉDICIS, 7

1871

Digitized by Google

Digitized by Google

11825.f.

DE ARCHITHRENIO

DUODECIMI SÆCULI CARMINE

ALIISQUE EJUSDEM ÆTATIS

POEMATIS ALLEGORICIS

Digitized by Google

PARISIIS. — EX TYPIS LAHURE
via dicta de Fleurus.

Digitized by Google

DE ARCHITHRENIO

DUODECIMI SÆCULI CARMINE

ALIISQUE EJUSDEM ÆTATIS

POEMATIS ALLEGORICIS

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

HANC THESIM PROPONEBAT

J. SIMLER

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN, EDITOREM

VIA DICTA DE MÉDICIS, 7

1871

Digitized by Google

Digitized by Google

ORNATISSIMO VIRO

J. B. A. LALANNE

GYMNASII STANISLAI RECTORI

DICABAT

J. SIMLER.

Digitized by Google

Vidi ac perlegi

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

a. d. V id. Jul. ann. MDCCCLXXI

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus

PATIN.

Typis mandetur

Academiæ Parisiensis rector

A. MOURIER.

Digitized by Google

PROOEMIUM.

Viros olim audivi præclara eruditione atque doctrina ornatos, de insolentibus et abnormibus quibusdam ingenii operibus, quæ inter litterarum monumenta exstant singularia, neque sui similia habere videntur, studiose disputantes.

In hoc monumentorum genere non ultimum locum habet *Archithrenius*, haud ignobile XII^mi^ sæculi carmen, a multis laudatum effusius, a nemine satis accurate exaratum.

Hujus carminis illi, quod non sine quadam voluptate quondam perlegerant, diligentiorem desiderabant pervestigationem [1]; quæ enim de hoc carmine in annalibus litterariis invenimus valde imperfecta sunt.

Ego vero qui antehac ne nomen quidem hujus carminis noveram, sine ulla mora librum et quoscunque eruere potui commentarios perlegi; moxque, hortante viro [2] qui in his studiis magna auctoritate valuit, ampliorem aggressus

1. Diligentissimum hujus carminis summarium tradidit Ginguené in Hist. litt. Gall. tom. XIV, p. 569, imperfectum tamen ac in pluribus falsum, præsertim in iis quæ de nuptiis Archithronii cum Moderantia exposuit.
2. Victor le Clerc.

Digitized by Google

de hoc poemate disquisitionem, omnia fere ejusdem ætatis poemata pervolvi ut cognoscerem quæ forte essent cum hoc insolenti Archithrenio quadam similitudine conjuncta; neque operam perdidi; etenim, contra omnium qui de Archithrenio ad hoc tempus scripserunt opinionem, aperte comperi plura apud veteres et apud æquales exstare carmina continua quadam allegorica ratione illi carmini haud absimilia. Hoc loco satis habeo verbo significare carmen Martiani Capellæ *de Nuptiis Mercurii et Philologiæ*, atque libros Boetii *de Consolatione Philosophiæ*, insigniora fuisse Archithrenii exemplaria.

Sedulus tum indagare cœpi qua locorum vel temporum conditione, quo magistrorum et lectionum subsidio et auctoritate Archithrenii auctor usus esset.

Sed quum intelligerem multa necessario etiam inscientem accipere qui litteras colit, ex prima institutione et assidua hominum, librorum, aliarumque rerum pertractatione, penitus exquisivi quinam fuerint tunc temporis auctores laudatissimi, ab omnibus in exemplum assumpti, quænam fuerit scholarum, litterarum et præsertim artis poeticæ ratio, tum magistrorum ac discipulorum, omniumque qui artibus liberalibus assidue studebant fortuna et habitus.

Omnia denique breviter contraxi et ordinavi hanc secutus dispositionem :

1° De poetica institutione XII^mi^ sæculi ;

2° De Archithrenio carmine [1] ;

3° De aliis ejusdem generis et ætatis poematis.

1. Hoc poema perlegere non cuilibet datur; rarissima supersunt exemplaria unicæ editionis anni 1517. Quam ob causam, studiosi lectoris gratia, in enarrando libro multos vel longiores locos ad verbum transcribere non dubitavi.

Digitized by Google

DE ARCHITHRENIO

ALIISQUE POEMATIBUS EJUSDEM ÆTATIS ET GENERIS

CAPUT PRIMUM.

DE INSTITUTIONE POETICA XII^MI SÆCULI.

---

§ 1. *De optimarum artium studio et ratione.*

Ut Archithrenium neque subito, neque quasi spontanea generatione, sed ex moribus et litterarum disciplina, suo loco et tempore prodiisse ostendamus, veramque poematis rationem penitus complecti, erroresque varios quibus capti erant qui ad hoc tempus carmen istud explanare tentaverunt corrigere possimus, primo de institutione poetica XII^mi sæculi breviter dicere necesse est. Neque hoc ita dico quasi de antiquo et solemni illo proverbio *nascuntur poetæ* quidquam detrahere velim, aut arte sola et institutione poetam evasisse ullum contendam; sed tamen valent profecto præcepta et artes etiam apud illos quibus non deest natura et felix ingenium; eadem majus, immo maximum habent momentum in hominibus minoris ingenii et infelicioris ætatis, quibus industria imitatrix et eruditio fere omnem suppeditant

Digitized by Google

dicendi copiam, deficiente poetico furore ac mente diviniore.

Hæc autem fuit communis conditio eorum qui medii ævi sæculis musarum viam ingressi latine[1] scripserunt; nam a natura et ingenio non multum adjuti, dicendi facultatem legendo ac imitando maxime consecuti sunt, et alienis vestigiis serviliter institisse satis habuerunt; quapropter ad rem pertinet inquirere diligenter de poetica istius temporis institutione.

Mediocria quidem erant litterarum studia, et a *clericis* solis celebrabantur scholæ. Etsi clarius quam proxime superioribus ætatibus jam splendescebant optimæ artes, pluresque et politioris ingenii clarescebant viri, attamen omnium tunc admirationem certe movebat qui non clericus litteris indulgebat.

Insignis hujus rei testis Philippus Harvengius, cognomento Eleemosynarius, qui obiit anno 1183, monasterii Bonæ Spei, Præmonstratensis ordinis, Cameracensis diœcesis, abbas secundus, vir pro ea ætate disertissimus et sancto Bernardo Clarævallensi familiaris, amicum quemdam militarem virum, summopere laudat quod liberalibus studiis vacare nunquam destitit: « scholarem disciplinam per annos aliquot prose-
« cutus, inquit, ad istum amicum scribens, sub magistrali
« ferula, liberalem scientiam assecutus es, et tantis litteris
« imbutus ut quamplures clericos transcendas in eorum ne-
« quaquam numero constitutus, quamvis enim te clericum
« fore non præscires, sed accingendum gladiali balteo et
« implicandum negotiis militaribus præsentires; adversus
« tamen litteras non *odio*, non *fastidio* torpuisti, sed labore
« commendabilem tibi scientiam acquisisti[2]. » Non satis duxit nobilis ille miles puerum et adolescentulum se litteris operam dedisse, sed postea princeps militum factus, ad easdem litteras animum et affectum intendere non intermisit; aliquando, teste eodem Philippo, militare negotium,

1. Inter eos qui vernacula lingua usi sunt facilius invenias quos vatibus annumerare liceat.

2. Philippus de Harveng, epist. XVII.

Digitized by Google

causas decertantium, strepitus forensium dimittebat, seque sibi vindicans, ad studiorum otium se convertebat, et, sumpto codice, nunc scriptitabat, nunc præcipuos tam ex veteribus quam ex recentioribus ethnicos et christianos legebat scriptores.

Pars autem maxima etiam clericorum studiis vacabat molliter ; multi et præstantissimi ejusdem ætatis viri de neglectis litteris vehementer queruntur.

Idem Philippus Harvengius[1], postquam summa laude commendavit quos nunquam fregisset labor improbus, nec revocaret provecta ætas, quin studiis liberalibus summam diligentiam impertirent, et amore sciendi quævis incommoda ferrent, socordes illos acri vituperatione reprehendit qui se Parisiis fuisse satis ducant, *non* enim, ait, *Parisius fuisse, sed Parisius honestam scientiam acquisivisse honestum est.*

Quam studiorum incuriam maxime dolent etiam Hugo de S. Victore, Joannes Sarisberiensis, Petrus Blesensis, Joannes Annævillanus, omnesque egregii temporis illius auctores.

« Plerique quum terminos transierunt pueriles, et ad « annos pervenerunt pubertatis, volunt uti privilegio per- « versæ libertatis ; impatientes studii et laboris abjiciunt « disciplinam, nidumque primum deserentes, non tam vo- « latum inveniunt quam ruinam. Soluti enim a scholaris « timore servitutis, discurrunt per vitia temerariæ juven- « tutis ; et quia se jam vident nullius majorum ferula « coarctari, per plana voluptatum gaudent liberius vagari.... « Hoc ipsum igitur quod forte in pueritia sunt adepti, dum « adhuc parentibus et magistris ætatis beneficio fuere « subjecti, processu temporis, quum jam majorem profec- « tum deberent adipisci, prævalente otio, cognatur obli- « visci ; inde est quod multos videmus tam simplices, idio- « tas, illitteratos, ut quum inter clericos venerint qualibet « ex causa pariter congregatos, vix inter eos audeant

1. Philippus de Harveng, epist. IV ad Engelbertum.

Digitized by Google

« linguam proferre latinam; et si forte præsumpserint, « sermo eorum scholarum non redolet disciplinam [1]. »

Sed jam hic locus est exponendi quænam fuerint hæc studia tam infeliciter neglecta, qualis scientia, quæ artium disciplina.

Apud Romanos qui liberalibus artibus operam dabant ex scholarum officina oratores evadere nitebantur, parum studiosi earum artium quibus non indigebat eloquentia.

In media ætate, quum supervacuum esset oratoris officium, quicunque artibus liberalibus animum coluerat, philosophus habebatur; deinde lectioni artium, aut utriusque juris, aut sæpius theologiæ studio incumbebat. Philosophia hæc, omnium disciplinarum quasi fastigium et consummatio omnes utique complectebatur artes quas *optimas*, *ingenuas*, *liberales* aut *honestas* vocabant, exclusis quæ in aliqua fabrili scientia notitiaque versantur.

Philosophia tunc plerumque definiri solebat : *disciplina omnium rerum humanarum atque divinarum rationes plene investigans*. Philosophiæ igitur in res et scientias numero infinitas diffusæ jam necesse erat tot esse partes quot sunt res diversæ, ad quas ipsam pertinere constiterit. Qui ergo omnibus his artibus et disciplinis excultus erat, hic vere philosophus dicebatur, sapientemque veteres appellabant neminem nisi universali doctrina politissimum ; hanc autem omnium rerum atque artium scientiam persequebantur omnes mediæ ætatis clerici; nondum enim in peculiari arte aut scientia, ceteris neglectis, exercitare ingenium mos erat [2].

§ 2. *De septem artibus earumque appendicibus.*

Istis vero innumerabilibus scientiis et artibus quibus constat philosophia recte et apposite simul vacare non licet

1. Philippus de Harveng, de scientia clericorum cap. XXVIII.

2. Quæ inter liberales mechanicasque et operosas artes medium locum tenent et a recentioribus diligenter coluntur, illis temporibus penitus ne-

Digitized by Google

imbecilliori hominis ingenio; ideo jam antiquitus ex universis septem elegerant artes, in quibus tantam utilitatem esse præ ceteris perspexerunt, ut quisquis harum disciplinam firmiter percepisset, ad ceteras postea facili labore perveniret. Sunt enim quasi optima quædam instrumenta et rudimenta quibus *via* paratur ad summam philosophiæ; hinc *trivii* et *quadrivii* nomen acceperunt. Nemo tum *magistri* nomine dignus habebatur, nisi has septem artes calleret. Quæ quidem sequenti ordine tractabantur[1].

1ª Grammatica, id est loquendi peritia;

2ª Rhetorica, quæ propter eloquentiam maxime in civilibus quæstionibus necessaria existimatur;

3ª Dialectica, sive logica, quæ disputationibus subtilissimis vera secernit a falsis;

4ª Arithmetica, quæ continet numerorum causas et divisiones;

5ª Musica, quæ numerorum, modorum, carminum rationem aperit;

6ª Geometria, quæ mensuras dimensionesque complectitur;

7ª Astronomia, quæ continet legem astrorum.

Non est hic locus dicendi de singulis artibus; eam tantum studiorum partem diligentius persequemur quæ ad artem poeticam pertinet, grammaticam scilicet, rhetoricam et musicam, atque appendicia quædam artium quibus maxime informatur poeta. Appendicia artium principalium dixerunt[2] studia minoris momenti, quæ, ab artibus quidem discreta, viam tamen ad philosophiam parant animumque exornant; hujusmodi sunt imprimis omnia poetarum carmina, fabulæ et historiæ.

Humiliorem locum obtinebant in scholis hæc appendicia,

glectæ torpebant. Præmissis autem septem artibus præcipuis, sola sacræ præsertim Scripturæ, utriusque juris et medicinæ scientia colebatur.

1. Vid. Isidor. Hispal. Lib. Etymologiarum, et alios.

2. Hug. de S. Victore Eruditionis Didascalicæ lib. III, cap. IV, et alii.

Digitized by Google

et uniuscujusque diligentiæ et studio relinquebantur. « Inter hæc, ait Hugo [1], artes scilicet et earum appendicia, « tanta mihi distantia esse videtur

« Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
« Puniceis humilis quantum saliunca rosetis.

« Artes sine *appendiciis* suis perfectum lectorem facere « possunt, appendicia sine artibus nihil perfectionis con- « ferre valent. Quapropter prima opera datur artibus quæ « fundamenta sunt omnium, deinde cetera quoque, si « vacat vel juvat, leguntur. » A summis autem viris diligenter exculta fuisse hæc appendicia, ex ipsorum scriptis et testimoniis clare perspicimus. Apud Hugonem de S. Victore, Joannem Sarisberiensem, Hildebertum, Abælardum, Petrum Blesensem et alios quamplurimos innumera reperiuntur vestigia poematum, quæ præ ceteris appendicibus maxime placuerunt.

Exemplo simul et præcepto hæc appendicia valde commendat Hugo de S. Victore : « Noli contemnere minima; « paulatim deficiunt qui minima contemnunt. Si primo « alphabetum discere contempsisses, nunc inter gramma- « ticos tantum nomen non haberes. Scio quosdam esse qui « statim philosophari volunt, fabulas pseudoapostolis « relinquendas aiunt. Quorum scientia formæ asini similis « est. Noli hujusmodi imitari :

« Parvis imbutus tentabis grandia tutus.

« Ego affirmare audeo nihil me unquam quod ad eruditi- « tionem pertineret contempsisse, sed multa sæpe didicisse, « quæ aliis joco aut deliramento similia viderentur. Memini « me, dum adhuc scholasticus essem, elaborasse ut om- « nium rerum oculis subjectarum, aut in usum venientium « vocabula scirem, perpendens libere rerum naturam illum

1. Hug. de S. Victore Erud. Didascal. lib. III, cap. IV.

Digitized by Google

« non posse persequi, qui earumdem nomina adhuc igno-
« raret.... Hæc puerilia quidem fuerant, sed non inutilia.
« Neque ea nunc scire stomachum meum onerat.... Alia
« propter se scienda sunt, alia autem, quamvis non propter
« se videantur nostro labore digna, quia tamen sine ipsis
« illa enucleate sciri non possunt, nullatenus debent negli-
« genter præteriri. Omnia disce, videbis postea nihil esse
« superfluum. Coarctata scientia jucunda non est[1]. »

Idem sentit Sarisberiensis qui artium appendicia et necessaria et optima proclamat: « Poetas, historicos oratores,
« mathematicos.... quis ambigit esse legendos, maxime
« quum sine his viri esse nequeant, vel non soleant litterati?
« qui enim istorum ignari sunt *illitterati* dicuntur, etsi
« litteras noverint[2]. »

Mediocres etiam auctores legendos putat, quia vix inveniatur scriptum in quo, si non in sensu, at in verbis non reperiatur aliquid notatu dignum[3].

Petrus quoque Blesensis his studiis se toto animo dedisse prædicat: « Scripta veterum præsertim evolvenda sunt.
« Scriptum est *quia in antiquis est scientia* (Job. XIII). Nam
« de tenebris ignorantiæ ad lumen scientiæ non ascenditur
« nisi antiquorum studia propensiore studio relegantur.
« Horatius jactat se relegisse Homerum,

> « Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
> « Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit. »

« Præter ceteros etiam libros qui celebres sunt in scholis,
« profuit mihi frequenter inspicere Trogum Pompeium,
« Josephum, Suetonium, Hegesippum, Q. Curtium, Corn.
« Tacitum, Tit. Livium, qui omnes in historiis quas refe-
« runt, multa ad morum ædificationem, et ad profectum
« scientiæ liberalis interserunt. Legi et alios, qui de his-
« toriis nihil agunt, quorum *non est numerus*. In quibus

1. Hug. de S. Victore Erud. Didascal. lib. VI, cap. III.
2. Joan. Sarisber. Polycratici, lib. VII, cap IX.
3. Joan. Sarisber. Polycr. lib. VII, cap. X.

Digitized by Google

« omnibus quasi in hortis aromatum flores decerpere, et « urbana suavitate loquendi mellificare sibi potest dili- « gentia modernorum[1]. »

Nulli autem appendici, nullisque auctoribus tam sedulo atque pertinaci animo incumbebant quam poetis; carminibus enim majorem curam et plus temporis impendebant multi quam cuilibet inter septem artes præcipuas.

Diligentiori igitur jam nunc pervestigatione exponendum quæ ad poeticæ artis disciplinam spectant.

§ 3. *De artis poeticæ cum ceteris artibus cognatione.*

« Adeo quidem, ait Sarisberiensis, assidet poetica rebus « naturalibus ut eam plerique negaverint grammaticæ « speciem esse, asserentes eam esse artem per se, nec magis « ad grammaticam quam ad rhetoricam pertinere, affinem « tamen utrique, eo quod cum his habeat præcepta com- « munia[2]. » Eam tamen ad grammaticam referendam esse censet Sarisberiensis tanquam ad matrem et altricem.

Primum igitur in grammatica, deinde in rhetorica et musica tradebantur de arte poetica præcepta.

Artis grammaticæ triginta dinumerabantur divisiones[3] quarum plures ad solam poeticam spectant.

Enarratio autem poetarum grammaticæ artis erat pars præcipua; selectos ex poetis locos ediscere erat consuetudo

1. Petr. Bles. Epist. CI.

2. Joan. Sarisb. Metalogici lib. I, cap. XVII.

3. Grammatica, scientia recte loquendi scribendique ratio, et origo et fundamentum liberalium litterarum, et totius philosophiæ cunabulum et altrix, amplectitur partes orationis octo, nempe nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium, conjunctionem, præpositionem et interjectionem; tum vocem articulatam, litteram, syllabam, pedes, accentus, posituras, notas, orthographiam, analogiam, glossas, differentias, barbarismum, solœcismum, vitia, metaplasmos, schemata, tropos, metra, fabulas et historias.

Vid. Isid. Hispal. et alios.

Digitized by Google

discipulorum, ut Quintiliani temporibus[1]; omnia etiam exempla quibus præcepta confirmabat a poetis sumere solebat grammaticus.

Prælectio denique poetarum, de qua infra[2] dicetur, ad poeticam artem maxime pertinebat.

Non solum autem in grammatica, sed etiam in rhetorica disserebant de carminibus. Quum enim tempora neque eloquentia, neque oratoris officio indigerent, ars ista elanguescebat; legebant quidem oratores et historiarum scriptores, sed anteponebant poetas, et ea quæ ad poeticam pariter et ad rhetoricam spectant.

Musica denique, cui nomen a Musis, de poetis nonnulla tradebat: « Musica movet affectus, provocat in diversum « habitum sensus et animum fovet ad scribendum. Musicæ « partes sunt tres: harmonica, rhythmica et metrica, quæ « omnes ad carmen pertinent. Harmonica pertinet ad « comœdos, tragicos vel choros, vel ad omnes qui propria « voce canunt. Rhythmica est quæ requirit *incursionem* ver- « borum, utrum bene sonus vel male cohæreat. Metrica est « quæ mensuram diversorum metrorum probabili ratione « cognoscit, ut, verbi gratia, heroicum, iambicum, elegia- « cum[3].... »

Sic multis modis cum artibus principalibus connexum erat poeticæ studium.

§ 4. *De scholarum disciplina.*

Illis temporibus episcopi multas jam aperuerant scholas, et in singulis monasteriis erat ludus discendi, et magister nomine *scholasticus*, aliquando et *scholaris*. De plerisque episcopis jure dicerem quod Reinerus[4] de Euraclo Leodensi[5]

1. Quintil. Instit. orator. lib. I, cap. I.
2. Vid. inf. c. I, § 4.
3. Isid. Hispal. Etymologiarum lib. I, II et III.
4. Reinerus, Vita Euracli, cap. II.
5. Liége.

Digitized by Google

episcopo scribit : « Euraclus religione et doctrinis lucebat « omnibus, qui in domo Dei erant, adeo ut scholas etiam « per claustra urbis monasterialia institueret, docendisque « pueris provideret magistros, sufficientia illis *stipendia* et « *annuos reditus* assignans. Litterarum quoque studia tanto « fervore prosequebatur, quod nullæ illum occupationes « retraherent, quin sæpius scholas adiret, artiumque disci- « plinas scholaribus pro cujusque ingenio et captu insi- « nuaret. Verum si aut in expeditionem, aut in aliqua regni « negotia evocatum contingeret diutius remorari, scholarum « magistros provocabat strenue ad studiorum palæstram mit- « tendo scripta vel hilari *prosa*, *vel dulci metro* composita. »

Certa hic habemus indicia de scholarum incrementis, de magistrorum institutione et stipendiis, de gymnasiis invisendis, ac præterea de vulgari metrici sermonis usurpatione.

Guibertus, abbas S. Mariæ de Novigento, villas, urbes ac oppida studiis fervere grammaticæ testatur[1], et vilissimis quibusque præ numero scholarum hanc patere grammaticæ disciplinam[2].

Sed aberant qui apte docerent et qui libenter docerentur; ab eodem enim Guiberto accipimus initio XII^mi^ sæculi adhuc magnam fuisse grammaticorum penuriam, ita ut in oppidis pene nullus, in urbibus vix aliquis reperiri posset; et quos invenire contigerat, eorum scientiam tenuem fuisse. Mox magistri levissima disciplina informati, quos *clericulos vagantes* vocat, per oppida dilapsi sunt ut votis responderent eorum qui discendi studio flagrabant[3].

Rariores igitur erant magistri ac discipuli pro scholarum numero; ideo in plerisque ludis magister unus omnes simul artes docebat discipulos qui omnes in eumdem locum conveniebant, tardiores ac robusti, ætate tenera vel provecta. Hanc sui temporis scholarum speciem accurate des-

1. Guibert. Gesta Dei per Francos, epist. dedicat. ad Lysiardum Suessionensem episc.
2. Guibert. Gesta Dei per Francos, in Præfat.
3. Guibert. de Vita sua, lib. I, cap. IV.

Digitized by Google

cribit Hugo de S. Victore : « Quid vides? Scholam discen-
« tium video. Magna est multitudo, diversas ibi ætates
« hominum conspicio, pueros, adolescentes, juvenes, senes,
« diversa quoque studia. Alii ad formanda nova elementa
« atque voces insolitas edendas rudem adhuc linguam in-
« flectere discunt. Alii verborum inflexiones, compositiones
« et derivationes primum audiendo cognoscere, deinde con-
« ferendo ad invicem, atque identidem repetendo memoriæ
« commendare satagunt. Alii ceros stylo exarant. Alii fi-
« guras variis modis et diversis coloribus in membranis
« docta manu calamum ducente designant. Alii autem
« acriori et ferventiori quodam studio de magnis (ut vide-
« tur) negotiis disceptationes quasdam ad invicem exer-
« cent, et se quibusdam verborum innexionibus et *gryphis*
« vicissim fallere contendunt. Calculantes etiam quosdam
« ibi video. Alii tensum in ligno nervum percutientes di-
« versorum sonorum melodias proferunt. Alii vero quasdam
« descriptiones, et mensurarum formas explicant. Alii cur-
« sus et positiones siderum et cœli conversionem quibus-
« dam instrumentis manifeste describunt. Alii de natura
« herbarum, de constitutionibus hominum, de qualitate
« rerum omnium et virtute pertractant. In his autem om-
« nibus licet non una est discendi forma, una tamen omni-
« bus est proficiendi voluntas.[1]. »

Hanc speciem præbent omnes fere scholæ medii sæculorum ævi.

Septennes quandoque, nunquam juniores in ludum adducebantur pueri, ac primo curabatur ut docerentur elementorum figuras et artificiosam litterarum conjunctionem. Cui laborioso certamini satis multum erat insistendum. Legere incipientibus tradebantur selectæ philosophorum sententiæ, e carminibus excerptæ poetarum quos venerabilis commendabat auctoritas. Plures annos his immorabantur exercitamentis sensim ad primas grammaticæ partes progredientes.

1. Hug. de S. Victore, *de Vanitate mundi*, lib. I, circa finem.

Digitized by Google

Procedebant magistri plerique per interrogationem et responsionem ; moxque adhibebant ad exercendum animum quæ *præexercitamenta* [1] vocabant, quæque eo libentius hic indicamus quod usu confirmata in omnibus artibus recepta sunt, nec a pensis quibus nostros adhuc discipulos informamus multum discrepant.

Duplex erat exercitium quotidianum quod regebat magister, alterum matutinum, alterum vespertinum [2] ; in utroque autem similia plerumque agebantur : proferebant discipuli quædam memoriter pronuntiata, quædam in codicibus conscripta, disputabant, auctores explanabant ; magister vero omnia regens, tum in legendo textu, tum auctores exponendo, tum notando ea quæ in scriptionibus emendanda essent, sua præcepta tradebat.

Ediscenda [3] quædam proponebantur quotidie sæpius e poetis excerpta. Bernardus Carnotensis, celeberrimus XII^mi sæculi magister historias, poemata percurrenda monebat diligenter, et ex singulis aliquid reconditum in memoria diuturnum debitum vigilanti instantia exigebat [4]. Petro etiam Blesensi gratum fuit quod Hildeberti Cenomanensis episcopi epistolas, quas styli elegantia et suavi urbanitate præcipuas æstimat, discere et corde tenus reddere adolescentulus compulsus fuerit [5]. Attamen historiis, orationibus, atque recentioris ætatis scriptoribus anteponebant poetas, elegantissimos quidem et ex veteribus [6].

Quotidie etiam aliquid vel soluto sermone, vel versibus scriptum proferre cogebantur discipuli [7], et hoc quidem maximi momenti æstimabatur ab optimis magistris : « Toto præexercitamine eruditendorum nihil utilius est quam ei

1. Singula præexercitamenta quæ nostrarum scholarum institutis quasi paria respondent diligenter notabimus, et nostro quidem Gallico sermone, quo facilius quisque similitudinem percipiat.
2. Classe du matin et classe du soir.
3. La récitation des leçons.
4. Sarisber. Metalog. lib. I, cap. XXIV.
5. Petr. Bles. epist. CI.
6. Vide inf. c. I, § 6, indicem auctorum quos sæpius legebant.
7. Les compositions écrites, prose et vers.

Digitized by Google

quod fieri ex arte oportet assuescere; prosas itaque et poemata quotidie scriptitabant[1]. » Variis modis distincta erant hæc pensa : nunc persolvebant die sequenti aliquid eorum quæ præcedenti audierant[2], alii plus, alii minus; erat enim apud eos præcedentis discipulus sequens dies; nunc verba magistri excepta et in chartulis breviter designata perscribebant plenius[3]; nunc prosis aut poematibus imitandis operam dabant[4]; poetas quidem aut oratores proponebat magister, et eorum jubebat vestigia imitari, ostendens juncturas dictionum, et elegantes sermonum clausulas[5]. Petrus Blesensis se hac via multum profecisse fatetur, potissimum quod « cum in arte *versificatoria* erudiretur, præcipiente magistro, materiam non de fabulis, sed de historiarum veritate sumeret[6]. »

Si quis tamen servili imitatione ad splendorem sui operis alienum pannum assuebat, deprehensum objiciebatur furtum, sed pœna non solebat infligi; ad ingenium enim acuendum et imitandum ea quæ audiebant, alii admonitionibus, alii flagellis et pœnis urgebantur[7].

Disputatio quæ, ceteris posthabitis, colebatur maxime in logica, suum etsi humiliorem locum in grammatica habebat[8].

1. Sarisber. Metalog. lib. I, cap. XXIV.
2. Les résumés.
3. Les rédactions.
4. Les amplifications et devoirs d'imitation.
5. Sarisber. Metalog. lib. I, cap. XXIV.
6. Petr. Bles. epist. CI.
7. Quum de scholarum institutis agamus, etiam de pœnis usu receptis pauca dicere attinet : flagellum erat pœna communiter admissa. Reinerus (lib. de Claris oratoribus) de Joanne monacho, magistro suo hæc habet : « Scholasticus et eruditione et officio fuit, cujus extremui plerumque ferulam puer, ut clavam Herculis nemo unquam plus extremuerit. Heu quoties, dum nostra exigit aut discutit opuscula, et aduncis correptas manibus obliquo tabellas oculo intuetur ! Heu quoties illum Virgilii monoculum putavi Polyphemum incurrisse! » Alium etiam magistrum memorat Reinerus qui, « dum doceret, a discipulis falli poterat, fallere homo simplex ignorabat. Proinde nos pueruli, quum ab illo doceremur, undelibet nobis iratum supplantabamus, ac veluti ex alto aere cadentia librantis et ferientis eludebamus verbera. »
8. « Se mutuis exercebant collationibus, quo quidem exercitio nihil uti-

Digitized by Google

Præcipua autem omnibus in scholis et artibus celebrabatur *lectio* auctoris[1]. Suum quæque ars habebat auctorem seu *textum* qui omnes totius artis partes interpretabatur. Lectio est cum ex hoc auctore regulis et præceptis informatur discipulus. Huic cujusque artis textui opponere ac assimilare merito possimus illa compendia[2] vulgaria quibus nostri nunc magistri scientiam quamlibet aut artem ad usum discipulorum contrahunt. Tantum vero in scholis valebat textus ut ab omnibus magistris acciperetur hæc communis sententia : « *Scito textu sciuntur omnia quæ pertinent ad facultatem propter quam textus facti sunt.* » Textum solemnem grammaticæ suppeditabant Donatus, Servius, Priscianus, Cassiodorus, Beda, Isidorus.

Erat autem et altera lectio, plurimum *prælectio* dicta, in qua potissimi auctores a magistro coram discipulis varie excutiebantur [3]. In hac expositione Quintilianum ducem præsertim sequebantur, atque hujus lectionis præcepta et rationem sæpe ad verbum a Quintiliano accipit Sarisberiensis et transcribit « Tria, inquit Sarisberiensis[4], continet prælectio : litteram, sensum et sententiam; a parvis et notis incipit magister, et ad majora, et minus nota et infinita progreditur : ostendit enim figuras, colores rhetorum, vitia notat et verborum significationem diligentius excutit; quid sermo quilibet in se, quid ab adjunctis in contextu possit valeatque solertius perscrutatur; exponit schemata in verbis aut in sententiis quæ fiunt per varias distinctionum formas ad eloquii venustatem augendam. Omnes denique auctorum virtutes et vitia sermonum lucu-

lius ad eloquentiam, nihil expeditius ad scientiam; insuper et plurimum confert ad vitam. » (Sarisb. Metal.)

1. Étude et explication du Traité ou Manuel adopté par le professeur pour l'exposition de son cours.

2. Cours, Traités, Manuels, Précis, Abrégés, etc. Livres classiques de chaque science, de chaque art spécial.

3. L'explication des auteurs.

4. Hæc ex pluribus contraxi quæ in Metalogico et Polycratico de auctoribus exponendis passim reperiuntur.

Digitized by Google

lenter ostendit; ita ut vix quidquam utilius aut compendiosius ea parte artium dici possit iis qui prosa aut versibus scribendi artem persequuntur. Minora etiam et præbebit, ut partes orationis, et pedum proprietates, quæ debent in carminibus notæ esse, quæ barbara, aut alioqui contra legem loquendi composita crebris commonitionibus imprimat memoriæ auditorum. Prosas aperit, metrorum leges educit, et exponit causas, et qua scribendi ratione uti oporteat in historiis, aut narrationibus fabulosis [1]. Quum auctores excutit, eos plumis spoliat quas, ad modum corniculæ ex variis disciplinis, ut color aptior sit, suis operibus indiderunt. Quanto pluribus disciplinis et abundantius discipulus quisque vel magister imbutus fuerit, tanto elegantiam auctorum plenius intuebitur, planius docebit. Optimi enim auctores, cum rudem materiam historiæ, aut argumenti, aut fabulæ, aliamve quamlibet suscipiunt, eam tanta disciplinarum copia et tanta compositionis et condimenti gratia excolunt, ut opus consummatum omnium artium quodam modo videatur imago; si quidem grammatica poeticaque se totas eo infundunt. Excute Virgilium aut Lucanum, et ibi, quamcunque profiteris philosophiam, ejus invenies conditurum. » Ex his legibus patet prælectionem auctorum, præsertim poetarum prævaluisse, et ad poeticam spectare pleraque hujus generis præcepta.

Novissimus autem omnis exercitationis articulus pietatis [2] vestigia præferebat in aliqua oblatione devota, plerumque in psalmo qui in Pœnitentialibus sextus numeratur pro defunctorum animis, et in oratione dominica, quia, ait Sarisberiensis [3], nec scholam, nec diem aliquem decet esse religionis expertem.

Medias autem inter unam et alteram magistrorum auditionem horas consumebant tum in propositis pensis, tum etiam, pro cujusque ingenio, industria et studio, in legen-

1. Hoc vocabulo comprehendit etiam carmina quæ mox excussuri sumus, Archithrenium, et alia.
2. Les prières d'usage.
3. Sarisber. Metalog. lib. I, cap. XXIV.

Digitized by Google

dis auctoribus, in scriptionibus variis et carminibus fingendis. Quas inertes horas, quæ vacua tempora liberis addicta ingenii lusibus luculenter describit Hugo de S. Victore : « Quoties, inquit, sophismatum meorum, quæ gratia brevitatis una vel duabus in pagina dictionibus signaveram, a memetipso quotidianum exegi debitum, ut etiam « sententiarum, quæstionum et oppositionum omnium fere « quas didiceram, et solutiones memoriter tenerem et « numerum ! Causas sæpe informavi, et dispositiones ad invicem controversas, quod rhetoris, quod oratoris, quod « sophistæ officium esset, diligenter distinxi. Calculos in « numerum posui, et nigris pavimentum carbonibus depinxi; et ipso exemplo oculis subjecto, quæ amblygonii, « quæ orthogonii, quæ oxygonii differentia esset, patenter « demonstravi.... sæpe nocturnus horoscopus ad hiberna « pervigilia excubavi. Sæpe ad numerum protensum in ligno *Magadan*[1] ducere solebam, ut et vocum differentiam « aure perciperem, et animum pariter meli dulcedine oblectarem[2]. »

Sunt etiam qui scholas communes nunquam adeuntes, magistro familiari præcipiente, domi litteras discebant. Hujus domesticæ disciplinæ exemplum notabile est Guibertus quidam ex oppido Belvacensi oriundus, postea in Flaviacensi cœnobio diœcesis Belvacensis, ac denique monasterii B. Mariæ de Novigento, in Laudunensi agro, prope Comiacum, anno 1104, abbas electus; qui sexennium litteris impendit solus cum solo magistro.

Hunc magistrum mater Guiberti prudentissima magno quæstu et honore adduxit ut ceteros dimitteret discipulos curamque omnem in filium conferret. Generale quidem studium regebatur in oppido, inquit Guibertus qui hæc ipse narravit[3], cujusque verba ex parte proferimus, sed schola nostra non alia erat quam quoddam domus nostræ tricli-

1. Musicum instrumentum.
2. Hug. de S. Victore, Erud. Didascal. lib. VI, cap. III.
3. Guibert. de Vita sua, lib. I, cap. IV.

Digitized by Google

nium. Infelix tamen fuit pia mater in primo filii cultu et in eligendo magistro. Erat quidem puer lepidus, sed bonarum artium fugax, disciplinæ impatiens, furunculus et mendax, ut, nihil proficiente custodia, vix in schola, sed totos fere dies delitescens reperiretur in vineis.

De cetero magister dictandi ac versificandi omnino expers erat: addiscere grammaticam inceperat grandævus. Præterea, ait Guibertus, sæva fere quotidie alaparum ac verborum grandine lapidabar, dum ipse me cogeret discere, quæ docere nequiverat. Quod vero deficiebat litteris compensabat morum severitas, tantaque ille discipulum sedulitate cohibuit ut eum a communibus arceret nebulonibus, incomitatum nusquam abire sineret, non cibum nisi domi sumere, non a quopiam munusculum, nisi licentia a se data, suscipere, quum æquales passim ad libitum vagarentur, habenis remissis. Nullo die, ne dominicis quidem sanctorumque festis diebus feriatum esse puero licebat.

Tam assidua magistri cura comparavit Guibertus quæ deinde monachi Flaviacenses perfecerunt; nam in cœnobio mox tanto discendi studio flagravit, ut solis litteris inhiaret, et incassum se vivere æstimaret, si diem sine lectione aut scriptione transegisset. « O quoties, inquit, dormire putabar, et corpus sub pannulo fovere tenellulum, et spiritus meus erat dicturiens, aut quidpiam objecto codice, dum judicia verebar aliena, legebam. » Postremo quidquid scribebat versibus includere instituit, tanto carminum flagrabat amore! sed nihil superest eorum quæ metrice composuit.

Eisdem igitur artibus, eademque via ac ratione informabantur discipuli in scholis publicis et a domesticis magistris.

§ 5. *De clericis qui, peracto scholarum curriculo, litteras et carmina non omittebant.*

Missis clericis qui sacræ Scripturæ aut utriusque juris studio vitam impendebant, labores eorum qui a litteris et

Digitized by Google

præsertim a carminibus non desistebant longius consequi ab instituto nostro non alienum videtur.

Postquam plures annos aut unum saltem annum audiverant grammaticum, ceteris artibus alii aliter se dedebant : quidam enim segniores et sibi nimium indulgentes trivii et quadrivii curriculum continuo pede persequi omittebant; quod amare dolent sapientissimi magistri : « Scholastici nostri aut nolunt aut nesciunt modum congruum in discendo servare, et idcirco multos studentes, paucos sapientes invenimus[1]. Fiunt summi repente philosophi; nam qui illitteratus accedit, fere non moratur iis scholis ulterius quam eo curriculo temporis quo avium pulli plumescunt [2]. » Joannes Annævillanus ipse in suo Archithrenio de eodem vitio vehementer queritur[3].

At sunt philosophi qui nudum nomen et umbram
Numinis arripiunt, qui vix libasse Minervam
Exhausisse putant, tenuisque scientia pectus
Erigit, et properata pudent insignia Musas,
Raptaque temporibus nubit sed adultera laurus.
Hi sunt qui statuæ veniunt, statuæque recedunt,
Et Bacchi sapiunt non Phœbi pocula, Nysæ
Agmina non Cyrrhæ; Baccho Phœboque ministrant,
Hoc vacui, hoc pleni; puer intrat Delia miles
Castra, recessurus dicta sumptaque salute,
Et dicto sumptoque vale. Temereque magistri
Præcipitatur honos, rudibus præsumptio Musis
Insilit, et primos audacia decipit annos,
Jamque in bella venit imbellis, inermis in arma.

Pro re igitur comperta habemus plerosque discipulos septem artibus molliter vacasse.

Ineunte demum XIII° sæculo per distinctos *baccalaureatus* et *licentiæ* gradus ad *magistri* munus et honorem perveniendi mos invaluit.

Magistri lectioni artium, juri aut medicinæ, plerique theo-

1. Hug. de S. Victore, Erud. Didascal.
2. Sarisber. Metalog. lib. I, cap. III.
3. Archithren. lib. III, cap. XXI, v. 400.

Digitized by Google

logiæ operam dabant. Exiguum tempus, quasi per animi oblectationem aliis interdum studiis et præsertim carminibus dicabant. « Si contigerit aliquando te transferri a libris theologiæ ad libros terrestris philosophiæ, transeundo aspicias utrum ibi forte invenias quid, quod mores instruat, quod fidei catholicæ competat[1]. » Hoc æquales monebat Alanus, summus illius ætatis poeta, vir vere litteratus, qui divinæ simul et « *terrestri* » philosophiæ sedulo incubuit.

Erant tamen qui post transactum scholarum curriculum assiduam poetis legendis carminibusque scribendis operam impenderent. Conspicuum hujus generis clericorum exemplar apparet Reinerus quidam, qui, exeunte XII° sæculo, inclaruit Leodii in S. Laurentii monasterio cœnobita. Hic quotidianæ vitæ consuetudinem, labores et studia sua fratrumque palam fecit tam in libro de *Claris scriptoribus monasterii sui*, quam in multis operibus soluto ac metrico sermone scriptis. Qualia fuerunt ceterorum studia hujus exemplo et testimonio facile conjiciemus, antiquam sententiam secuti : *ab uno disce omnes.*

Amico cuidam Reinerus a quo rogatus fuerat librum *de Claris oratoribus* mittit, in quo primum ea quæ fratres ecclesiæ suæ litterarum periti scripserunt utilia attingit, deinde sua opera, suas, ut ipsius mutuer verbum, ineptias enarrat. Omnes fere abbates monasterii, numero quindecim, et soluta oratione et metrice nonnulla scripserunt; sed eorum qui adhuc superstites sunt scripta commemorare dubitat, ne aut livoris arguatur, si remissius laudet, aut adulationis, si benignius. Sua denique, necessitati veniam precans, etiam tenuissima enumerat. Vel adolescens quum litteras disceret, varia jam opuscula libavit, tantoque studio discendi agebatur ut « magnos poetas poeta modicus tentaret utcunque imitari. » Carmina, prosas, et mixta, prosa scilicet ac metris distincta scripsit; quæ prima tentamina familiaris quidam Reineri in aliud monasterium aliamque regionem, quasi mutuæ pignora charitatis, immo spolia, deportavit.

1. Alan. de Insulis summa de Arte predicatoria, cap. XXVI.

Digitized by Google

Moris igitur fuisse illis temporibus videmus et opuscula ludere, præsertim metrica, et coram amicis legere ipsisque in amicitiæ pignus tradere si adessent, mittere si abessent. Ipse enim Reinerus Fridericum in Christo familiarem gravibus verbis objurgat, quod opuscula, litterarum instar, mittere cessaverit. « Libellum ad te scribere gratum ac præcordiale habui. Huic favorem, huic gratulationem te impensurum, prout ceteris soles opusculis meis, non ambigo, tametsi utilitas in eis sit modica. Sed habeo adversus te quod charitatem reliquisti; siquidem, postquam Stabulas[1] abiisti, postquam Stabulensis effectus es, nullum mihi alloquium, nullam litterarum schedulam misisti, quasi arietes, oves, vitulos Arduenna non habeat, de quorum solent pellibus confici pergameæ.... sed forsan causaberis onagros abesse, qui tuos ad nos deportent codicellos? adsunt autem commeantes plurimi[2]. » Solebant igitur clerici cum amicis rudimenta sua communicare, ut faventibus amicis, ait idem Reinerus, ad majora acueretur animus. Quæ autem scabro privatim descripta stylo habebat, monitu quorumdam amicorum qua potuit lima postea solebat purgare; nec a labore continuo unquam desistere voluit, nisi cogente morbo gravissimo. Aliquantum dehinc temporis omisit scribendi operam, quo lectione magis frueretur, vel erudiendis fratribus se impenderet, vel etiam musicæ, quam semper studiose coluit, indulgeret plenius; sed a scribendo diu cessare quum gravaretur, « ne mucidæ dormitarent tabellæ ceris, neve stylus parieti affixus rubiginis lepra tabesceret, » nunc pro aliqua necessitate scriptum elucubravit ab amicis flagitatus, nunc ad familiarem dedit versus. A labore invictus finem scribendi nusquam fecit, ut nudus ipsius innumerabilium operum index plane ostendit[3].

1. Stavelot in Belgica.
2. Reiner. de Casu fulminis super eccles. S. Laurentii, cap. VII.
3. Quo melius quisque illius ætatis dicendi genera pernoscat hunc indicem hic apponimus; scripsit igitur Reinerius:
1. Threnos super Ecclesiæ pressuris.
2. Pantherem de novo ac veteri Testamento, prosa ac metris scriptum.

Digitized by Google

Quum autem ad illam pervenit ætatem, qua virili præditi ardore ad majora tentanda excitamur, artem arripuit ad quam semper illum potius ferebat ingenium, carmenque heroico versu conscribendum suscepit, quod gravi infirmitate præpeditus perficere non potuit.

Erant etiam qui poesi plus æquo inservientes in absurdis nugis tempus consumere non dubitabant; quod vitium humillime fatetur Guibertus de quo supra diximus : « Cum

3. De compoto.
4. Martyrium VII Machabæorum.
5. Carmen in hoc apostoli verbum : qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.
6. Melodiam de SS. Sixto, Felicissimo et Agapito.
7. Conversionem S. Pelagiæ, seu speculum Pœnitentiæ.
8. Passionem Virginis Mariæ Cappadocis, seu Palmarium virginale.
9. Vitam Theobaldi eremitæ.
10. Libellum super morte amici.
11. Orationem rhythmice expressam ad B. M. V.
12. Præconium Wolbodonis episcopi.
13. Commonitorium pietatis.
14. Carmen de Insignibus Insularum Sardiniæ et Siciliæ.
15. De conflicta duorum ducum et animarum mirabili revelatione.
16. De quodam milite captivato et per salutarem hostiam liberato.
17. Lauream peregrinorum Jerosolymitanorum.
18. De adventu reliquiarum S Laurentii in Leodium ab urbe Roma.
19. Orationes diversas ad eumdem martyrem et ad alios sanctos.
20. De reverentia sacrorum locorum.
21. In sophistam librum cui titulus : qui sophistice loquitur odibilis est.
22. Cantus plures de SS. Antonio, Hieronymo, et aliis.
23. Tres libros de victoria Michaelis Archangeli.
24. Hymnos de S. Servatio et de S. Beggo.
25. Septem hymnos de S. Spiritu.
26. Triumphale Bulonicum.
27. Cantus de SS. martyribus Ebermaro et Urbano.
28. Epitaphia et epistolas quamplurimas.

Hæc in indice ab ipso Reinero confecto; scripsit insuper:

29. Vitam Euracli episcopi Leodiensis.
30. Vitam Domini Reginardi.
31. De casu fulminis super ecclesiam monasterii sui.
32. Librum gratiarum actionis super dedicatione novæ ecclesiæ monasterii sui.
33. Breviloquium de Ecclesia S. Lamberti.
34. Lacrymarum libellos tres.
35. De profectu libros duo.
36. Librum denique de claris scriptoribus monasterii sui.

Digitized by Google

versificandi studio ultra omnem modum meum animum immersissem, ita ut universæ divinæ paginæ seria pro tam ridicula vanitate seponerem, ad hoc ipsum, duce mea levitate, jam veneram ut Ovidiana et Bucolicorum dicta præsumerem, et lepores amatorios in specierum distributionibus epistolisque nexilibus affectarem.... scriptorum nugantium nequaquam scurrilitatibus temperabam; latenter quippe quum eadem carmina cuderem, et nemini aut vix omnino meis consimilibus illa prodere auderem, sæpius tamen, mentito auctore, ipsa quibus poteram recitabam, et lætabar ea a voti mei consimilibus collaudari, quæ mea fore rebar prorsus inconveniens profiteri[1]. » Sed mox inutilis studii ac inhonestæ licentiæ pœnituit Guibertum, Deum veniam rogavit, ac statim, otii impatiens, Scripturarum commentariis intendere cœpit. Clarum postea arripuit opus, quod *Gesta Dei per Francos* inscripsit, sed adeo ei in usu erat quæcunque scribebat versibus includere ut has historias carminis modo tractare primum in animo haberet, « nec id, ait, solo præsumptive instinctu egi meo, sed sua aliquibus petitione huic voto adnitentibus. Quidam sane prosa ut scriberem, metro autem id fieri plerique rogabant, qui talis me studii in primævo rudimenta celebrasse satius justo compererant. » At experientia provectior oratione sedata utendum arbitratus est. Attamen soluto sermoni non semel versus intextos invenimus in his haud ignotis annalibus.

Consimilis vitæ ac singularis carminum studii testes plurimi reperiuntur illis temporibus, inter quos eminent Abælardus, Alanus, S. Bernardus, Joannes Annævillanus, Joannes Sarisberiensis, Hugo et Richardus de S. Victore, Hildebertus, Philippus Hervengius et Petrus Blesensis.

1. Guibert. De vita sua, lib. I, cap. XVII.

Digitized by Google

§ 6. *De auctoribus laudatissimis.*

I. AUCTORES TRIPLICI ORDINE DISTINCTI.

Triplicem distinguere licet ordinem auctorum quos celebrabant magistri XII^mi sæculi. Erant alii quorum textus omnibus in scholis et in singulis artibus publice legebatur. In his potiorem ac frequentiorem nullum invenire est Martiano Capella. Omnia quæ in scholis artium tradebantur contraxit Capella celebri compendio quod poeticis figmentis ita exornavit ut rudes incultæ ætatis animos suaviter alliceret. Mox in tantam venit gratiam carmen hoc de *Nuptiis Mercurii et Philologiæ* inscriptum ut ceteros omnium artium textus quotidiano ac universo usu antecelleret. *Nuptias* quidem illas non solum in scholis lectas et explanatas, sed in ædium parietibus et equorum stratis depictas, nec non in vestibus sacris intextas reperimus. Fuit hoc carmen per omnem mediam ætatem totius septem artium disciplinæ summa, index et norma; tanta erat illius libri auctoritas ut qui eum teneret omnium artium arcana nosse videretur. Non igitur mirum si hujus ætatis scriptores exemplar magistri quem summa religione, continuo studio et lectione colebant, secuti plurimis carminibus *Satiricon* Martiani laborioso imitamine referebant[1].

Sed etiam alii erant auctores quos summa cura explanabant magistri. Inter poetas, quos jam supra ostendimus præ oratoribus adscitos fuisse, primum locum obtinebat Virgilius; proximum deinde Flaccus, Naso, Juvenalis, Lucanus, Persius, Claudianus, Terentius, Statius, Martianus et Boetius. Hic ea valebat auctoritate ut Martiano facile æquipararet; hujus libros *de Consolatione Philosophiæ* assidue in manibus volvebant[2].

Sequuntur auctores ceteri qui neque in *Lectione*, neque in

1. Vid. inf., p. 26, totius carminis argumentum.
2. Vid. inf., p. 29, Boetii de Consolatione Philosophiæ argumentum.

Digitized by Google

Prælectione, sed a discipulis pariter et a magistris studiosis tantum legebantur per otium, quos his verbis commendat Sarisberiensis : « Multa legas facito, perlectis, perlege multa. Quo quidem aliquid esse utilius ad scientiam aspiranti facile non crediderim..... sic tamen omnia legenda sunt, ut eorum aliqua, quum lecta fuerint, negligantur, reprobentur nonnulla, aliqua videantur in transitu, ne sint omnino incognita..... Poetas, historicos, oratores, mathematicos..... quis ambigit esse legendos?... Eos etiam commendat plurimum Cicero dicens: Poetas et varios scriptores artium aut rerum gestarum solus ille contemptibiles f cit qui non ver tur contemni..... Ego autem in illorum sententiam facillime cedo, qui non credunt sine lectione auctorum posse fieri hominem litteratum..... Vix invenietur scriptum in quo, si non in sensu, vel in verbis, non reperiatur aliquid quod prudens lector admittit... nam exquisita lectio singulorum doctissimum, cauta electio meliorum optimum facit [1]. » Assidue perlectos veteres et memoriæ mandatos esse facile intelliget qui præcipuos XII^mi sæculi scriptores et ipsum præsertim Sarisberiensem percurrerit ; eorum enim opera antiquorum et imprimis poetarum sententiis et excerptis locis allatim sparsa reperiet.

Cum vero Martiani *Satiricon* et Boetii *Libri de Consolatione Philosophiæ* exemplum præcipuum et quasi archetypum constituant Archithrenii, aliorumque poematum, Archithrenio similium, antequam de his dicamus, pauca de exemplaribus illis exponenda videntur.

II. DE MARTIANO CAPELLA.

Martianus Minæus Felix Capella, ex Africa oriundus, quinto sæculo vixit. Opus ejus, quod *Satiricon* inscribitur, quia *saturam* prosa et metris compositam, a Varrone jam in *Satiris Menippeis* admissam, æmulatur, absolutam septem ar-

1. Joan. Sarisber. Polycrat. lib. VII, cap. IX et X.

Digitized by Google

tium continet expositionem. Huic præmisit fabulam de nuptiis Philosophiæ et Mercurii, ut jucundis allegoriarum figmentis arida rerum abstrusiorum præcepta mulceret, simpliciumque hominum mentes delectaret. Unde etiam de *Nuptiis Philologiæ et Mercurii* sæpius nuncupatur carmen.

Philologiæ personam inducit Ratio quæ Sapientiam recipit: Mercurii vero nomine facundia sermonis designatur. Sermonis copia sine ratione et sapientia nocet aliquando, raro aut nunquam prodest: sed quum in sapiente conveniunt et acumen rationis et eloquentia, tum quasi connubio sociantur Mercurius et Philologia, et promptissimus est ad scientiam septem liberalium artium accessus.

Cyllenium (eloquentiam) igitur introducit poeta personam primarum partium de ducenda virgine deliberantem; suadente Virtute, patrem Apollinem adit consilium petiturus. Quem ut procul Pythius adventantem prospicit, statim cognita viæ causa, throno exsurgens, Musas jubet occurrere, et continuo orsus est ipse:

> Est igitur prisci generis doctissima Virgo,
> Conscia Parnasso, cui fulgent sidera cœtu,
> Cui nec tartareos claustra occultare recessus,
> Nec Jovis arbitrium rutilantis fulmina possunt.

His Apollinis dictis læta Virtus, tam eximiæ Virginis nomen inquirit, quam ubi cognovit esse Philologiam, tanta alacritate afficitur ut de ingenito rigore decedens, etiam corpore moveatur. Accedunt statim cognatæ, affines et pedisequæ Virginis inter quas eminent Mantice, Sophia, Periergia, Agrypnia et Phronesis; tum cautissima et omnia vigili distinctione discriminans Prudentia, hujus germana, sua cunctis tribuens Justitia, contemptisque muneribus atque abstinentia commendabilis Temperantia, adversisque rebus nunquam infracta, subeundis laboribus robore quoque corporis præparata Fortitudo; præterea Charites, puellæ tres vultu decoreque parili. Tandem supervenit Athanasia, deorum omnium mundique custos, ejusque mater Apotheosis; occurrunt etiam Concordia, Fides, Pudicitia. Dis-

Digitized by Google

cordiam vero et Seditionem quis ad sacras nuptias corrogaret, præsertim quum ipsi Philologiæ semper fuerint inimicæ?

Longissimum tum suscipitur per medium cœlum iter, primo ad domum Jovis, cujus exposcitur assensus, dehinc ad Virginis penates thalamumque. In via obviam fiunt elementorum præsides, angelicique populi pulcherrima multitudo, animæque beatorum quæ jam cœli templa ingredi meruerunt. Sapientes quoque invenit Virgo, Linum, Homerum Mantuanumque vatem, lauro redimitos canentesque; Orpheum atque Aristoxenum fidibus personantes, Platonem Archimedemque sphæras aureas devolventes. Ardet Heraclitus, ustus Thales, circumfusus atomis Democritus videtur. Samius Pythagoras cœlestes quosdam numeros replicat; Aristoteles quoque per cœli culmina Entelechiam studiosius requirit; Epicurus vero mixtas violis rosas et omnes fert illecebras voluptatum, multusque præterea palliatorum populus studiis discrepantibus dissonat.

Septem denique Philologiæ ministræ: Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Geometria, Arithmetica, Astronomia et Musica suam quæque disciplinam per ordinem profusiore sermone exponunt septem libris.

Denique, adstante omni deorum senatu, initur conjugium, dos datur et quidquid sponsalium nomine designatur. Nec deest Musarum chorus, nec tibiarum melfa, nec ex fidibus sonitus, nec hydraularum harmonia. Sed canoris vocibus dulcique modulatione Musarum chorus prævertit omnem concentum et cum sacri numeris cantus hæc dicta funduntur:

Scande cœli templa, Virgo,
Digna tanto fœdere,
Te socer subire celsa
Posuit astra Jupiter.

Hæc fabula, ut infra videbimus, varietate, ordine, argumento præcipuum est exemplar Archithrenii et aliorum poematum XII^mi sæculi Archithrenio similium. Si cum ve-

Digitized by Google

teribus eam conferre velis, aliquatenus forsan reperias similem ab argumento somnio Scipionis, a forma Varronis satiris menippeis, Senecæ Apolocynthosi, satirico Petronii, a genere dicendi scriptis Apulei.

III. DE BOETIO.

Boetius, philosophus, grammaticus, poeta claruit ineunte VI° sæculo; ex multis ejus operibus celeberrimi extant libri quinque de *Consolatione Philosophiæ*; quod opus Satirico Capellæ pluribus ex partibus simile pari etiam gratia valuit apud poetas et philosophos medii ævi.

Quum Boetius in carcere languescens miserias hominum suaque infortunia defleret, querimoniamque stylo in tabulis signaret tacitus, adstitisse in vertice visa est mulier venerabili vultu, oculis ardentibus et solito perspicacioribus, colore vivido, atque firmo robore, quanquam ætate tam provecta ut aliorum temporum æqualem facile agnosceres. Statura autem ambigua, nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat, nunc vero pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur. Vestes erant tenuissimis filis, subtili artificio, indissolubilique materia perfectæ; dextra libellos, sceptrum sinistra gerebat. Quæ ubi poeticas Musas vidit (metrice enim querimoniam scribebat Boetius) toro assistentes, fletibusque Boetii verba dictantes, commota paulisper ac torvis inflammata luminibus: Quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere, quæ dolores ejus non modo nulla levatione foverent, verum dulcibus insuper alerent venenis? Obstupuit Boetius, nondum enim noverat quænam esset hæc mulier tam imperiosa. Tum illa propius accedens in extrema Boetii lectuli parte consedit, ipsiusque intuens vultum luctu gravem atque in humum mœrore dejectum, primo mentem ejus perturbatam conquesta est. Nunc vero, inquit, medicinæ tempus est, non querelæ. Tum totis in Boetium intenta oculis: Tune ille es, inquit, qui nostro

Digitized by Google

quondam lacte nutritus nostroque cibo pastus in virilis animi robur evaseras? Atqui talia contuleram arma quæ, nisi prius abjecisses, invictum te tuerentur. Agnoscisne me? Tum respexit Boetius et agnovit nutricem suam, in cujus ab adolescentia laribus versatus fuerat, Philosophiam.

Deinde Philosophia certiora adversus animi ægritudinem remedia proponit, quo, rejecta falsa felicitatis specie, veram beatitudinem semper carpere possit Boetius. Jam vero, tali magistrâ usus, altiores sapientiæ rationes et præcepta, mixto versibus et prosa sermone exponit.

Jam de Boetii et Capellæ carminibus satis multa attulimus ut facile ostenderemus multos sæculi XII^mi^ poetas œconomiam, lineamenta, formam, vestigia denique illorum innumera referre.

§ 7. *De artis poeticæ ratione.*

Ex prædictis jam nunc perspicuum est qualis fuerit XII^o^ sæculo artis poeticæ ratio.

1. Jam inde a cunabulis et per omne scholarum curriculum egregios poetas legebant assidue et memoriter tenebant.

2. In artibus et in appendicibus artium, maxime autem in grammatica tradebantur præcepta et leges artis poeticæ.

3. Quotidie in scholis addiscebant ex auctoribus, plerumque ex poetis locos selectos, quotidie etiam aliquid scriptitabant nunc metris, nunc soluto sermone.

4. Industriam autem et artem carminum præcipue in *prælectione* auctorum ostendebant.

5. Præter istam prælectionem auctorum nonnulli de arte poetica singularibus libellis disserebant. Textus quidem poeticæ proprius communi in usu non fuit; attamen plures adhuc hodie supersunt tractatus de arte poetica. Jam sæculo octavo S. Adhelmus, episcopus Schireburnensis, scripsit librum de metris ac pedum regulis, in quo satis superque

Digitized by Google

de omnibus pedum, metrorum et schematum legibus, de pedum accidentibus ac de prosodia disserit.

Exeunte XII^e^ sæculo Galfridus de Vinosalvo artem poeticam 2114 versibus exposuit, quorum aliquos infra exscriptos invenies.

Denique ineunte sæculo XIII^e^ Eberhardus, Bethuniæ oriundus, *Græcismum* et *Labyrinthum* quum componeret, in utroque multa poeticæ præcepta protulit.

Eodem fere tempore Alexander de Villa-Dei scripsit volumen metro leonino de grammatica et de poetica. Plerique tamen magistri solum grammaticæ textum et lectionem auctorum adhibebant in tradendis poeticæ elementis.

6. Horum præceptorum alia quidem vana et nugatoria, alia vero sana et bona, a rerum natura quasi fonte derivata esse supra[1] jam vidimus, et ex his quæ hic adjicere libet mox clarius patebit.

« In poetica naturam, ait Sarisberiensis, imitatur grammatica; præcepta enim poeticæ naturam morum patenter exprimunt. »

In testimonium hujus disciplinæ affert notissimam Flacci sententiam :

> Format enim natura prius nos intus ad omnem
> Fortunarum habitum; juvat aut impellit ad iram,
> Aut in humum mœrore gravi deducit et angit;
> Post effert animi motus, interprete lingua[2].

Plura ex Flacco præcepta excipit Sarisberiensis[3], eamdem et Flacci mentem sæpe redolet Galfridus de Vinosalvo, et sermone aliquatenus simili exprimere conatur in sua poetica :

> Si quis habet fundare domum, non currat ad actum
> Impetuosa manus; intrinseca linea cordis
> Præmetitur opus, seriemque sub ordine certo

1. Vid. sup. § 4.
2. Horat. Art. poet. v. 78.
3. Sarisber. Metalog. lib. I, cap. XVII et alibi.

Digitized by Google

Interior præscribit homo, totamque figurat
Ante manus cordis, quam corporis, et status ejus
Est prius archetypus quam sensilis. Ipsa poesis
Spectat in hoc speculo quæ lex sit danda poetis.
Non manus ad calamum præceps, non lingua sit ardens
Ad verbum; neutram manibus committe regendam
Fortunæ, sed mens discreta, præambula facti,
Ut melius fortunet opus, suspendat earum
Officium, tractetque diu de themate secum.
Circinus interior mentis præcircinet omne
Materiæ spatium. Certus prælimitet ordo,
Unde præarripiat cursum stylus, aut ubi septa
Figat. Opus totum prudens in pectoris arcem
Contrahe, sitque prius in pectore quam sit in ore,
Mentis in arcano quum rem digesserit ordo,
Materiam verbis veniat vestire poesis.
Quando tamen servire venit, se præparet aptam
Obsequiis dominæ. Caveat sibi ne caput hirtis
Crinibus, aut corpus pannosa veste, vel illa
Ultima displiceant aliunde, nec inquinet illam,
Hanc poliens partem. Pars si qua sedebit inepte,
Tota trahit series ex illa parte pudorem;
Fel modicum totum mel amaricat, unaque menda
Totalem faciem deformat...

7. His et aliis præceptis haud omnino contemnendis instruebantur scholastici, sed e carminibus quæ nobis reliquerunt liquet eos plerumque hæc præcepta omisisse atque legibus putidis et parum naturalibus insudasse. Incredibili enim quadam et instanti conquisitione de versuum et pedum forma, varietate et figuris minutissima quæque exponebant.

Lectorem certo afficerem tædio, si omnia quæ a grammaticis de arte metrica in scholis graviter disserebantur hic vel breviter contrahere conarer. Grammatici enim de ordine, de pedibus, syzygiis, metris, pedum accidentibus, de prosodia, videlicet de tonis, temporibus, respirationibus et passionibus, denique de schematibus ceterisque figuris verborum aut sententiarum multa tradebant, quæ ne ipsi quidem intelligebant. Pedes centum viginti quatuor nu-

Digitized by Google

merabant et distinctionibus definitionibusque solvebant. In hujus modi præceptis et partitionibus minutulis diutius immorabantur.

Aliqua tamen inanis hujus disciplinæ testimonia afferre liceat ex iis quæ de schematibus præcipiebantur.

Aliquando versus plures nominibus tantum, aut nominibus cum adjectivis, aut verbis perficiendos monebant; quo schemate sæpe usus est Archithrenius, maxime quum *Parisios*[1] et mundum describit[2] :

Quid moror? Est mundus res immundissima, labis
Alveus exundans vitiis, ut nubibus aer,
Æquor aquis, cœlum radio, caligine tellus,
Fructibus autumnus, ver floribus, æstibus æstas,
Frigoribus bruma, nitro Pharos, India nardo,
Chameleonte Phryges, basiliscis Africa, Nilus
Hippotamis, Ganges hebenis, struthionibus Helle,
Tartara tormentis, Styx nocte, Megæra venenis,
Seditione furor, gemitu dolor, ira tumultu,
Fulmina terrore, Mars ictibus, alea rixis,
Garrulitate merum, Venus igne, Cupido sagittis,
Ingluvies luxu, gula sorde, bitumine venter,
Curia fabellis, fora litibus, histrio nugis,
Pellex blanditiis, lupa quæstu, lena susurris,
Fastu nupta, socrus odio, livore noverca,
Sors dubiis, fortuna dolo, velamine fatum,
Spe miser, opposito felix utroque Joannes.

His proximis verbis sibi gratulatur auctor quod per duodeviginti versus paria paribus adjungere potuerit; pluris enim faciebant inanes has verborum juncturas et positiones quam mentem diviniorem qua soli afflantur poetæ.

Anaphora qua eadem dictio bis sæpiusque per principia versuum vel in eodem versu repetitur feliciter usi sunt eximii poetæ; sed fastidium facit hæc relatio nimium producta apud Archithrenium et ceteros ejusdem ætatis poetas. Arbores ille quæ montem ambitionis vestiunt sigillatim

1. Vid. inf. c. II, § 4, et Archith. lib. II, cap. XVII, v. 488.
2. Archith. lib. VII, cap. VI, v. 204.

Digitized by Google

describit quindecim versibus ab eodem verbo incipientibus[1] :

Hic pinus graciles succingitur alta capillos;
Palmaque centennis tardante puerpera fructu,
Et pretiosa rogos fumo condire cupressus;
Et meliore libro Cynamolgi cinnamus hospes;
Et lacryma felix nostræ sacra balsamus aræ;
Et ficus geminis depingens floribus annum;
Et bina nucleum quæ claudit amygdalus arca;
Et sitiens Bacchi primævum persicus imbrem;
Et tunicata croco germanaque cotonus auri;
Et rugosa genam producto dactylus ævo;
Et pyrus huicque sacrum tituli dat Regulus omen,
Et pyrus hancque volæ plenus denominat orbis;
Et pyrus huicque dedit materna angustia nomen,
Et pyrus Augusto quæ patrinante vocatur,
Et pyrus hæc nota est et filiolata Reberto;
Et pyrus est hujus alius Baptista Joannes;
Et pyrus a quovis pretio signata, vel oris
Cœna vel aspectus...

Etiam *paronomasia*, qua dictio similis vel pæne similis ponitur in significatione diversa immoderate abutuntur :

orbi
Hic urbem rapuit, hic orbem reddidit urbi[2].

Invocationem qua Deum alloquitur Archithrenius initio carminis his verbis explicat :

Tu patris es Verbum, tu Mens, tu Dextera; Verbum
Expediat verbum, Mens mentem, Dextera dextram[3]

Alibi Bacchum animo segni stimulos addentem simili verborum cavillatione laudat[4].

Ad idem schema referre licet innumeras istorum poeta-

1. Archith. lib. IV, cap. III, v. 36.
2. Archith. lib. I, cap. VI, v. 116.
3. Archith. lib. I, cap. VIII, v. 200.
4. Vid. inf. c. II, § 4, et Archith. lib. II, cap. IX, v. 283.

Digitized by Google

rum dictiones aliqua parte consonantes, quarum unum et alterum ponemus exemplum. De libidine hæc habet Archithrenius[1].

Hoc *sale*, *sal hominum*, *Salomon* insulsus *amara*
Demeruit, *morem* quod *amaro* gessit *amori*.

Simili lusu *Solon sol hominum*[2], *Lucifer* autem *letifer*[3] vocatur. Apud Henricum Septimellensem *salomonior Salomone* pro *sapientior* Salomone ponitur. Denique Archithrenius hac nova commendatione laudat paupertatem[4]:

Indolis *activa* placuit, *passiva* laborum
Paupertas, vitii *declinativa*, malorum
Ablativa, virum *genitiva*, *dativa* bonorum.

Insigne etiam illius schematis quod a quibusdam *lipogrammaticon* vocatur, exemplum habet *Aurora* vel *Bibliotheca* inscriptum carmen a Petro de Riga qui anno 1170 claruit, scriptum.

Summarium quoddam annectitur huic carmini in XXIII distinctiones divisum juxta numerum litterarum alphabeti : (litteræ *i* et *j* unam habent distinctionem, item litteræ *u* et *v*). Caret autem sua quæque distinctio littera, quo fit ut prima distinctio excludat litteram *a*, secunda litteram *b*, et similiter. Subjecimus primam :

Principio rerum post quinque dies homo primus
Conditus in sexto creditur esse die.
Exprimit hic Christum, qui sexto tempore mundum
Ingrediens fit homo, nos redimendo cruce.
Fit conjux ex osse viri, dum somnus in illum
Mittitur, et Christi mors fuit ille sopor.
Ecclesiæ signum fuit hæc, de corpore Christi
Terreni generis sumpsit origo fidem;
Per ligni vetiti gustum nos ille peremit,
In cruce nos redimit ille cruore suo.

1. Archithren. lib. VII, cap. III, v. 128.
2. Archithren. lib. VII, cap. VII, v. 224.
3. Archithren. lib. VIII, cap. II, v. 38.
4. Archithren. lib. VI, cap. IX, v. 261.

Digitized by Google

In his nugis et ineptiis sedulo consistebant magistri; ad istas etiam similesque ineptias statim abierunt qui, vix rudimentis depositis, quid possent in hac arte tentabant.

8. Fere omnes et quidem severissimi illius temporis auctores qui in abstrusis et penitus abditis rebus et disputationibus plurimum versabantur, nonnunquam tamen indulgebant carminibus. Inter auctores XII^mi sæculi quorum ad nos pervenerunt scripta, amplius centum inveni qui metrice quædam scripserunt, si nihil aliud, hymnos saltem et laudes sanctorum.

Magnum igitur proventum poetarum attulit illa ætas, qui multas et varias carminum formas coluerunt, etiam in his ab æquo bonoque deflectentes, et omnem excedentes modum, ut non facile quisquam percenseat omnia carminum genera quibus insudarunt.

Hoc tantum spectamus ut illis aliquantulum immoremur auctoribus qui in condendis suis carminibus Boetium ac Martianum Capellam sibi proposuerunt exemplaria præcipua. Horum ordinem ducit Archithrenius, sequuntur Alanus de Insulis et Henricus Septimellensis, quorum jam poemata explanabimus.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

DE ARCHITHRENIO CARMINE.

§ 1. *De Archithrenii carminis auctore.*

Auctorem Archithrenii vixisse circa finem XII^mi^ sæculi inter omnes constat; scriptum est enim carmen Gualtero de Constantiis dedicatum quo tempore iste Gualterus a sede Lincolnensiad sedem Rothomagensem archiepiscopus transiit, anno scilicet 1185. Sed quo anno natus sit poeta, quo mortuus, nusquam invenire potui. Attamen nondum ætate provectum eum hoc carmen composuisse ex ipsius verbis conjicere licet. Capite enim quinto libri primi se juvenem adhuc, sine gloria, sine divitiis esse fatetur, ideoque doctorum hominum et maxime senum censuram vehementer timere, quod æqualium scripta vituperare, veterum laudare soleant; nempe omnibus temporibus aliqua de veteribus ac recentioribus scriptoribus controversia fuisse videtur[1] :

> O mihi suspecta veterum mordacior ætas!
> Acrius in *juvenes* decorrosiva senectus,
> Ne preme. . . . . .
> . . . . . ,
> Deucalionæum pelagus vel naufraga Pyrrhæ

1. Architr. lib. I, cap. v, v. 65.

Digitized by Google

Sæcula non vidi, vel quas solaribus ardens
Rector equis radio sitienti sorbuit undas;
Non me præteritis jacto latuisse diebus,
Mæoniumque senem mihi convixisse...
. . . . . .
Sustineas quæ me dederint hæc tempora; nec, si
Videris auctorem, pretio leviore libellum
Argue; nec si quem meruit deperdat honorem.
Non me mollis Arabs [1], non barbarus edidit Atlas.
. . . . . .
. . . . . Nec sum cui serviat auri
Turba, nec argenti, cui rerum copia mundo
Plaudat adulanti....

Nomen et originem poetæ ex prologo et pluribus carminis locis accipimus : De auctoris, inquit,

. . . . . .
Nomine si quæras, liceat dixisse : Joannes
Est ejus nomen, cui Neustria contulit ortum...

Nonnulli illum in Anglia natum esse ferunt; jamdudum Lelandus [2] pugnantes inter se sententias bene conciliasse videtur, Joannem in Anglia natum esse, sed ex Neustria oriundum asserendo, quod etiam ex ipso cognomine *Annævillano* [3] satis manifesto apparet. Plures enim etiam hodie sunt in Neustria vici, Annævilla nomine; Constantiis autem proximam Annævillam [4] præ ceteris Joannis patriam esse suspicor; sic enim singularem Joannis in Gualterum de Constantiis amorem probabili ratione, ex origine fere communi natum esse conjicere datur. Quod autem Anglus ex Neustria ortum se prædicat, nihil est quod mireris; proxi-

1. Cf. Claudian, in quarto consul. Honor. v. 257.
2. Lelandi commentarii de scriptoribus Britann. Oxon. 1709, in-8°.
3. Dicitur Annævillanus, Hanvillensis, Hautvillensis, Hanwillensis, Hanvuillensis, Hautivillensis, de Alta Villa, Nantvillensis, Magnavillanus.
4. Gallice; Anneville-sur-Mer, Manche, arrondissement, poste, et à 13 kilom. de Coutances, canton de Lessay, 441 habitants.

Digitized by Google

mis enim post Guillelmi Normannorum ducis victoriam annis, principem locum tenebant qui cum Guillelmo ex Normannia in Angliam transierant, ipsique et eorum filii in Anglia nati præcipuam gloriam capiebant ex originis loco et cognomine. Cornubiensem Joannem appellat a Wood[1], illumque in Cornubia provincia natum facile credo, quum in suo poemate Cornubiam laudibus extollat et ipsum Gualterum in Cornubia natum dicat[2].

Erat autem Annævillano ingenium facile et præstans, et magnus litterarum amor; totus igitur studiis incubuit Oxonii primum, ubi, ut arbitror, Gualterum cognovit, qui tum temporis archidiaconus erat Oxoniensis. Ibi se in bonis artibus et præsertim in poesi ita exercuit ut mox miraculum eloquentiæ visus sit.

Septem artium liberalium magister factus est Oxonii, ac deinceps, postquam multos annos in peregrinationibus consumpsit per Galliam et Angliam, ad Albani fanum[3] monachi suscepit habitum, auctore Balæo[4]; Pitseus[5] vero ait illum Oxoniæ in studiis educatum et ibidem liberalium artium ac philosophiæ magistrum creatum, statim apud S. Albanum monachum induisse; postea vero, cum illi acutum esset ingenium, facunda lingua, et scientia non communis, ad majora studia missum esse Parisios; ubi, propter ingentem litterarum amorem, in iis studiis consistere decrevit. Illic deinde poesin tam studiose coluit audiendo, legendo, docendo et scribendo ut habitus sit tanquam Musis filius unice dilectus. Ibi etiam, teste eodem Pitseo, versibus scripsit suum Archithrenium, nomine a Græcis mutuato. Balæum vero si audias, ad S. Albani fanum monachos sacro imbuens nectare disciplinæ Archithrenium, opus nobile, protulit. Utrum igitur hoc carmen ante an post susceptum

1. Antonii a Wood Historiæ et Antiquit. Univers. Oxoniens. Oxon. 1674, in-f°.
2. Archith. lib. V, cap. XIX, v. 477.
3. S. Albani fanum sæcul. VIII° exstructum in Hartfordiensi comitatu.
4. Balæus, Scriptor. Britann. catalogus, Basiliæ, 1559, in-4°.
5. Pitseus, Relat. histor. de rebus Angl. Paris, 1619, in-4°.

Digitized by Google

S. Benedicti habitum, Parisiis an in S. Albani monasterio scripserit non liquet.

A sui temporis scriptoribus nusquam laudatus est Annævillanus, neque ipse ex æqualibus ullum nominat nisi Henricum II^um^, Angliæ regem, cui fuit addictissimus, et Gualterum Constantiensem cui Archithrenium nuncupavit; quem Gualterum immodicis ornat laudibus, Trojanoque sanguine ortum ac nulli inferiorem prædicat[1].

Joanni Sarisberiensi Archithrenium adscripserunt quidam, cujus erroris probabilem puto causam esse quod et ipse Sarisberiensis non secus ac noster Annævillanus, nomine Joanne, Neustriana origine, carminibus quoque et singulari in Henricum regem amore notus est.

Mox in tantam gloriam venit Archithrenius ut in *Labyrintho* poemate, quod ab Eberhardo quodam Bethuniensi sæculo XIII° exaratum fertur, eximiis annumeraretur carminibus[2].

Insuper et exeunte XIV° sæculo monachus quidam, Hugo Legatus nomine, Archithrenium commentariis illustravit nondum in lucem editis. Hugo Legatus in comitatu Hartfordiensi natus, apud S. Albanum ordinis S. Benedicti monachus, studia ad majorum suorum præscriptum prosecutus est Oxoniæ. Inde domum reversus se dedidit historiarum lectioni. Tum diversos pervolvens in bibliotheca cœnobii sui libros, tandem incidit in Archithrenium Joannis Annævillani, ejusdem ordinis et cœnobii quondam monachi, cujus lectione et meditatione ita delectabatur ut, ceteris postpositis, hunc libentissime legeret, insignibus efferret laudibus, postea ad ingenii sui pium exercitium et communem omnium utilitatem ornaret commentariis, quos Guillelmo Hayworti abbati suo consecravit. Initio hujus libri quid sibi proposuerit declarat Hugo Legatus : « Tantarum deliciarum thesaurum producere cupientes, ut fructus inde posteris accrescat, tempus nobis idoneum au-

1. Archith. lib. I, cap. VII, v. 138, et lib. V, cap. XIX, v. 463.
2. Eberhardi Bethunensis Labyrinthi tractatatus tertius, de versificatione.

Digitized by Google

tumnum delegimus, ut nostræ universitatis filii, studiorum diversorum laboribus fatigati, in ejus agro spatiantes recreationis flores inde colligerent[1].

Deinde omnes fere qui de re litteraria annales scripserunt Archithrenium cum laude commemorant[2].

Omnia Annævillani opera[3] in Anglia et præsertim Oxoniæ inedita latent, præter hunc Archithrenium, præclarissimum auctoris scriptum, anno 1517 a I. Badio Ascensio typis mandatum Parisiis.

Qui etsi multam sedulamque curam adhibuit, tamen

1. Pitseus, oper. citat.

2. Inter multos nomine tantum notare sufficiat aliquos ex unoquoque sæculo :

XV° sæculo. Bostonium Buriensem (apud Pitseum).

XVI° sæculo. Lelandum, Commentarii de Scriptor. Britann. Oxon. 1709, in-8°.
Balæum, Scriptorum Britanniæ catalogus, Basiliæ, 1559, in-4°.
Gesnerum, Bibliotheca universalis, Tiguri, 1545, in-f°.
Simlerum, Bibliotheca, Tiguri, 1674, in-f°.
Ciacconium, Bibliotheca, Paris, 1731, in-f°.

XVII° sæculo. Pitseum, Relat. histor. de rebus Anglicis, Paris, 1619, in-f°.
Usserium, Antiquitates Eccles. Britann. Lundin. 1729, in-f°.
Bulæum, Historia Universitatis Parisiensis. Paris, 1665-73, 6 t. in-f°.
Tannerum, Bibliotheca Britannico-Hibernica, Lundini, 1748, in-f°.
A Wood, Historiæ et Antiquit. Universit. Oxon. Oxonii, 1674, in-f°.

XVIII° sæculo. Leyserum, Historia poetarum et poematum medii ævi, Halæ Magdeb. 1721, in-f°.
Baillet, Jugements des Savants. Paris, 9 v. in-12, t. IV, p. 256.
Oudin, de Scriptoribus Eccles. antiq. tom. II. Lipsiæ, 1722, in-f°.
Fabricium, Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis. Paris, 1734.
Ziegelbauer, Historia rei litterariæ ordin. S. Benedicti August. Vindel. 1754. in-f°.
Bonamy, Mémoire de l'Académie des Inscriptions, t. XV, p. 680.

XIX° sæculo tandem, Ginguené, Hist. littéraire de France, t. XIV, art. Jean de Hanville, et omnes qui de viris in re litteraria illustribus scripserunt aut indices confecerunt.

3. Scripsit 1° de Archithrenio, libros IX.
2° de Rebus occultis, lib. I.
3° Epigrammata, lib. I.
4° Epistolarum, lib. I.
5° Diversorum poematum, lib. I, et ejusmodi alia plura.

Digitized by Google

non licuit ei hoc poema ederet ex omni parte absolutum. Quod ex ipsius verbis et ex libro patet : « opus enim, ait, habebat emendatione quam maxima, quam sine solertiore judicio præstare poterat nemo. Visus enim est variis in locis, forte ab amicis, ut fit, admonitus, opus recognovisse, atque ita varia recognitionis exempla reliquisse, quod collatis exemplaribus cognovi. Offendi enim aliunde multa inducta, alio multa apposita, in omnibus plura mutata. »

Carmen in novem libros distributum ab ipso auctore, liber vero unusquisque ab editore vel a scriptore quodam incognito infeliciter in capita digestus videtur.

§ 2. *Poematis argumentum et divisio.*

Inter omnes qui variis temporibus Archithrenium interpretari et rerum ordinem breviter complecti conati sunt neminem inveni qui vera totius operis lineamenta perspexerit ac fideliter notaverit.

Mores et potissimum vitia hominum ostendere ac deflere sibi proponit, unde nomen *Archithrenius*, quo et ipse auctor et opus ejus pariter appellantur. Vitiis autem innumeris remedium indicatur unicum, *Moderantia*, juxta illam poetæ sententiam :

> Est modus in rebus, sunt certi denique fines
> Quos ultra citrave nequit consistere rectum [1],

nec non vulgo dici solet : *In medio stat virtus.*

Hoc totius fabulæ thema multis allegoriis adhibitis et mirabilibus figmentis a Capella præsertim et Boetio acceptis fusius evolvitur :

Archithrenius quidam, virilem jam ingressus ætatem, secum quid hactenus egerit exquirit diligenter, nec honestis moribus, nec virtuti usquam invenit esse locum.

Conqueritur igitur de Natura, hominis altrice, tot et tan-

1. Horat. Satir. lib. I, satir. I, v. 106.

Digitized by Google

tis vitiorum illecebris obnoxii. Postquam lacrymas effudit amarissimas Naturam inquirere constituit, ut quæ sola aptum conferre valeat subsidium. Mundum igitur circummeans, Venerem, Ambitionem, Avaritiam et cetera Vitia, hominibus nocentissima, offendit.

Naturæ tandem inventæ genibus advolutus viæ causam aperit. Natura vero Archithrenium benigne suscipit, hominesque miseros esse ostendit et vitis deformatos, quia vitam omni intemperantiæ addicant, in omnibus excedant modum, et vel bona in mala vertant; felicem illi carperent vitam, si rebus omnibus modeste et moderate uterentur, Moderantiam igitur virtutem amplectendam Natura suadet, et juxta antiquum Capellæ figmentum, Moderantiam Virginem nuptum tradit Archithrenio.

Carmen in novem libros distributum est amplitudine æquos, sed nulla rerum et argumenti ratione distinctos. Quamobrem aliam in hac nostra disquisitione instituere non dubitamus divisionem, qua præcipuas carminis partes velut varia ejusdem corporis membra distinguere licebit.

Prælonga carmini præmittitur prolusio, XIV prima capita et 333 versus complectens, auctoris propositum, librique nuncupationem enarrans.

In secunda parte (a capite XV° libri I^mi ad caput III^um libri VI^mi, 2115 vers.) Archithrenius Naturam perquirens ubique miserias et lacrymandi causas invenit.

In tertia parte (a cap. III° lib. VI^i ad cap. VI^um lib. VIII^i, 1249 vers.) Archithrenius celeberrimam Thulem insulam ingressus, philosophos veteris et recentioris ætatis offendit auditque de virtutibus et vitiis disputantes.

Eadem in insula Archithrenio occurrit Natura, duplicemque de astronomia et mundi partibus sermonem profert (a cap. VI° libri VIII^i ad caput VIII^um lib. IX^i, 580 vers.); deinde (a cap. VIII° libri IX^i ad caput XXVI^um et ultimum, 283 vers.) Archithrenium solatur, eique subsidium valentissimum commendat, Moderantiam quam continuo amplectitur Archithrenius, sibique, eadem hortante Natura, perenni vinculo et amore adjungit.

Digitized by Google

§ 3. *Carminis prolusio.*

Insolitum et prima specie omnino a re alienum videtur initium carminis, nullaque inter continua capita connexio, si titulos tantum inspicias [1]; neque infitiabor plura in hoc carmine non satis esse apta et inter se connexa. Attamen qui, omissis capitum titulis, omnia attentius perlegerit aliquam seriem et rerum junctnram quandoque levissimam perspiciet. Neglectis igitur capitum inscriptionibus quas librarius quidam ignotus infeliciter præfixit, hic mihi verus ordo esse videtur, quem auctor ipse a superioribus poetis accepit.

Veterum exemplo inductus librum versibus scribere animo proponit Annævillanus, sed rei nimia difficultate territus, nunc ingenio suo diffidit, nunc labore improbo omnia vinci posse sibi persuadet :

> Velificatur Athos [2], dubio mare ponte ligatur;
> Remus arat colles, pedibus substernitur unda,
> Puppe meatur humus, pelagi Tethys exuit usum,

1. Capita libri primi inscribuntur :

I. De potentia laboris et ingenii.
II. De impotentia desidiæ.
III. De sociis desidiæ.
IV. De remotione arrogantiæ.
V. Contra senes præsentia damnantes.
VI. De ortu et statu ejus ad quem scribit.
VII. De oblatione opusculi.
VIII. Invocatio ad Deum.
IX. Contra invidos.
X. Narratio.
XI. De recordatione Archithrenii circa opera transacta.
XII. De Naturæ potentia.
XIII. De monstruosis.
XIV. De proposito Archithrenii.
XV. De itinere Archithrenii
XVI. De domo Veneris.
XVII. Descriptio puellæ.

2. Archith. lib. I, cap. I, v. 1. Cf. Juvenal. sat. X, v. 174.

Digitized by Google

Salmoneus fulmen jaculatur, Dædalus alas
Induit. Ingenii furor instat et invia præceps
Rumpit, et artifici cedit Natura labori.

Quo vero ingenii laborisque virtus manifestior appareat, desidiæ turpitudo graviter notatur[1]

Languida segnities veneris nutricia tractat
Otia, dilatrix operum, dissuada laborum,
Venativa moræ, vix inceptiva quod ipso
Principio rumpit. Hodiernos crastinat actus,
Et quod præteritum nunquam facit, usque futurat.
Ausus attenuat, animos premit, alligat artus,
Contemptusque luto defœdat aromate morum
Pectus adornandum.

Socios deinde desidiæ enumerat, quo in loco imitatur Virgilium, Claudianum, aliosque[2]:

Tædia segnitiem comitantur, et invida lætis
Tristities, luxusque vacans lascivia pompis,
Et venus, et renum cinctus petulantia solvens,
Cognatusque necis sopor, et præcursor inermis
Torpor egestatis, et amara opprobria vultu
Mœsta verecundo, salibusque irrisio mordens,
Et pudor, et partes infamia nuda pudendas,
Et vaga propositi levitas, et nescia fixis
Mobilitas mansisse rotis, et devius error,
Votorumque vices crebro inconstantia versans,
Et fluitans animus, et non statura voluntas,
Pigraque mollities, et inertia parca laboris;
Et fracti studii languor, morbusque senectæ
Debilitas, sterilisque brevi sub pondere manans
Sudor, et abscissis titubans ignavia nervis.

Deinde veritus ne insolentem sibi fiduciam arripiat, disputat de arrogantia removenda; opusculo quamvis humili livorem timet seniorum qui præsentia, præsertim juvenum

1. Lib. I, cap. II, v. 7.
2. Lib. I, cap. III, v. 26.

Digitized by Google

opera damnare soleant. Deinde postquam vaganti oratione longe a proposito digressus est, Gualtero carmen nuncupat, ejusque ortum et dignitatem tumidioribus verbis laudat. Tandem aliquando ad fabulam ipsam, carminisque argumentum pervenimus, inducitur Archithrenius[1] :

Dumescente pilis facie, radioque juventæ
Obscuris pallente genis, cum mala viriles
Exacuit nemorosa rubos, nec primula mento
Vellera mollescunt, virides quot luserit annos
Respicit, et quidquid tenero persuaserit ætas
Floridior recolit memor Archithrenius, imas
Pectoris evolvit latebras, mersosque profunda
Explorat sub mente lares, nec moribus usquam
Invenit esse locum, nec se virtutibus unum
Impendisse diem : Mene istos, inquit, in usus
Enixa est Natura parens? me misit ut arma
In superos damnata feram, divumque reatus
Irritent odium, legesque et jura meique
Præteream decreta Jovis? vitiine potestas
Mortales æterna premit? facinusne redundat
Dis invisa palus? Mater quid pignora tantæ
Destituit labi, nec quem produxit alumno
Excubat, ut nullis maculam scelus inspuat actis?

Fortem sane, perfectum, omnis virtutis compotem Natura hominem fingere potuisset, quippe quæ innumera et magis ardua efficiat quotidie[2] :

. . . , . . . astrorum flammicat orbes,
Igne rotat cœlos, discursibus aera rumpit.
Mollit aquæ sphæram, telluris pondera durat,
Flore coronat humum, gemmasque inviscerat undis,
Phœbificans auras, stellasque intexit Olympo.
Natura est quodcunque vides, incudibus illa
Fabricat omniparens quidvis operaria nutu
Construit, eventusque novi miracula spargit.
Ipsa potest rerum solitos evertere cursus,
Enormesque serit monstrorum prodiga formas.

1. Lib. I, cap. XI, v. 216.
2. Archith. lib. I, cap. XII, v. 236.

Digitized by Google

Tum ad ostendendam Naturæ potentiam, percenset prodigia et portentosa a pluribus, maxime autem a Gaio Plinio Secundo[1] et Isidoro Hispalensi[2] sedulo narrata. Hanc potentissimam Naturam denique quæritare statuit[3] :

> Quid faciam novi; profugo Natura per orbem
> Est quærenda mihi, veniam quacumque remotos
> Abscondat secreta lares, odiique latentes
> Eliciam causas, et rupti forsan amoris
> Restituam nodos. . . . .

§ 4. *Iter Archithrenii Naturam quærentis.*

Non in animo fuit Annævillano verum describere iter verasque regiones et varios terrarum situs, ut fecit olim in suo Prometheo Æschylus longos errores infelicis narrans Ionis; iter prorsus commentitium conficit Archithrenius per orbem terrarum, per fluvios, per agros et deserta loca ad quærendam Naturam. Vitia immaniora in sedibus fictis quidem, sed historia aut fabula unicuique singulariter adscriptis, Venerem in insula Cypro, Ambitionem prope Pellam, Alexandri patriam, Parisiis vero scholasticos infelices, et philosophos ipsamque Naturam in felicissima insula Thule invenit. Horum tamen locorum veras formas exprimere neque conatur, neque cogitat, et valde erraverunt qui in Archithrenio poemate regiones aut urbes apte descriptas deprehendere sibi visi sunt[4], quum omnia sint auctoris ingenio excogitata et ficte enarrata.

Ab initio omnes viæ casus et labores summatim dicit[5]:

> Rumpitur ergo moræ sterilis dilatio, cœptum
> Promovet, urget opus, mundi circummeat axes,

1. Histor. natur. lib. VII.
2. Etymolog. lib. XI, cap. III.
3. Archith. lib. I, cap. XIV, v. 320.
4. Bulæus, Histor. Universit. Paris. t. II passim; Bonamy, Mémoires de l'Académie des Inscriptions, t. XV, p. 680. Dulaure, Hist. de Paris, et alii.
5. Archith. lib. I, cap. XV, v. 334.

Digitized by Google

Et pede sollicito terit Archithrenius orbem.
Montibus insudat, metit ægro poplite valles,
Languet in abruptis, in planis prævolat auras,
Ardua morbificant, relevant devexa laborem.
Sicca pedum curru, manuum legit humida remo,
Sese naviculæ, sese vice remigis utens.
Nec suspendit iter, scopulos si planta queratur,
Crura rubus fodiat, faciem ramalia cædant,
Dumus aret vultus, boreæ furor ora flagellet,
Ardeat ad radios cutis, exstinguatur ad imbres,
Sub Phœbo sitiat, pluviis adaquetur amictus,
Sæviat aut æstus aut frigoris ira, caputque
Alba ligustret hyems, nigra quod vacciniet æstas,
Et face sol Maurum faciat, nive bruma Britannum.

Primum, post longam tamen viam, ad Veneris sedem devenit[1].

Hic[2] dea virginibus roseum cingentibus orbem
Præsidet, et rudibus legit incentiva puellis,
Inque viros faculas accendit, et implicat hamos.

Tum amplissima narratione describitur puella a vertice ad imum pedem, deinde vestis puellæ a pedis calceamine ad summa capitis ornamenta; quæ omnia, corporis scilicet venustas et ornatus, infinitas constituunt insidias in homines corrumpendos comparatas. Stupet lacrymans

. . . . et cœpti memor Archithrenius inde[3]
Transit, et ecce locus visum ferit obvius, in quo
Affectus hominum varios trahit ima colendæ
Sollicitudo Gulæ.

Prope a domo Veneris habitat Gula, ut declaretur utrumque vitium arcta propinquitate conjunctum. Sordidissimas

1. Archith. lib. I, cap. xvi, v. 357.
2. In insula Cypro.
3. Archith. lib. I, cap. iv, v. 168.

Digitized by Google

gulæ turpitudines et summam sobrietatis laudem per ordinem exponit, Juvenalis[1] in quibusdam vestigia legens.

> Inter ventricolas versatur quæstio, pisce[2]
> Quis colitur meliore lacus, quis fertilis aer
> Alitibus, quæ terra feras producat edules,
> Quos assare cibos, quos elixare palati
> Luxuries distincta velit, quæ fercula molli
> Jure natent, quæ sicca gulæ trudantur averno.

Multum amplificatur locus de dapibus, condimentis et ferculis :

> . . . . . nam forma paratis[3]
> Delicias pretiumque parit, multumque tenetur
> Materies formæ, nam si labor improbus adsit,
> Materiam superabit opus, opibusque paratus
> Addet opes acuetque gulis ardentibus ignes.

Inter præcipuos hujus capitis de gula et totius quidem carminis locos excellit commendatio quædam Bacchi in quam orationem magno apparatu et verborum jactantia auctam omnis ingenii vires et dicendi pompam profudisse videtur[4].

1. Juvenalis, sat. IV, V, X, IX.
2. Archith. lib. II, cap. V, v. 187.
3. Archith. lib. II, cap. V, v. 231. Cf. Virgil. Georg. — Ovid. Metam. lib. II, v. 5.
4 De commendatione Bacchi : Archith. lib. II, c. IX, v. 267.

> Bacche, corymbiferis Phrygiæ spectabilis oris,
> Quem Jove majorem Thebæ venerantur alumnum
> Parnassusque deum, cunctis deus inclyte terris!
> Quam bonus es, meliusque sapis! plus sole sereni,
> Plus splendoris habes auro, Phœboque nitoris,
> Plus auro Phœboque potes; tu cetera pleno
> Obnubis radio, sidus plus sidere, luxque
> Luce, diesque die. Plausus seris, otia tractas,
> Et Thiasum Thyrsumque juvas; tibi mœror et omnis
> Cedit hyems, vernusque venis lugubris amaram
> Pectoris abstergens lacrymam, sepelisque sepulchro
> Lætitiæ curas : refoves felicius ægro

Digitized by Google

Deinde simplicem Philemoni et Baucidis mensam celebrat et cibos agrestes varios subtiliter recenset, Ovidium maxime secutus amplificata tamen oratione[1].

Postquam autem diversum gulæ sobrietatisque exitum vidit, exclamat Archithrenius :

> O Deus! humanis circumspice, frena palato[2]
> Pone modumque cibo. . . . . .
> Parcius effusam tractet moderantia mensam,
> Admissamque pati venter doceatur habenam.

Hic primum nominatur moderantia, quam mox omnibus vitiis, immoderatis scilicet affectibus, remedium proximum apponet Natura.

Lacrymas continere nequit Archithrenius, illuc devenisse dolet, alio festinat et novam invenit flendi causam; Parisiis

> Pectus hebes luctu; per te tranquillior omnis
> Intima luxuriat pax, expirante tumultu;
> Prætimidos audere facis, leporique leonem
> Inseris, et nervis animos ut vina ministras.
> Imbelles in bella vocas, animosque jacentes
> In Martem mortemque rotas, Mavortis in usum
> Invalidos Mavortis agis, dextramque trementem
> Sub senio vinoque regis, tuus ensis in enses,
> In galeas galea quemvis rapit, ignis in ignes.
> Fecundo fecunda, mero facundia surgit,
> Et vino verbisque fluit, sic lingua Lyæum
> Mercuriumque sapit, gemina sic æstuat unda
> Eloquii torrens; etiam prudentia vino
> Uberior fervet. Exsurgis, Bacche, caputque
> Et linguam pectusque moves, capitique Megæra,
> Pectoribus Nestor, linguis inserpit Ulysses.
> Tristibus oppressos animos in læta relaxas;
> Mœroris tumidam curas hydropisin ægro,
> Pœoniis animo medicina potentior herbis
> Languores languere facis, sensumque doloris
> Cogitur ipse dolor posuisse, malisque malorum.
> Eripis affectum.

1. Archith. lib. II, cap. xvi, v. 394. Cf. Ovid. Metam. VIII, v. 600.
2. Archith. lib. II, cap. xvi, v. 479.

Digitized by Google

enim summas videt scholasticorum miserias, quas olim oculis perspexit et scholasticus forsan ipse tulit :

. . . . . Euntі[1]
Exoritur tandem locus, altera regia Phœbi
Parrhisius, Cyrrhæa sacris, Chrysea metallis,
Græca libris, Inda studiis, Romana poetis,
Attica terra sophis ; mundi rosa, balsamus orbis,
Sidonis ornatu, sua mensis, et sua potu.
Dives agris, fecunda mero, mansueta colonis,
Messe ferax, inoperta rubis, nemorosa racemis,
Plena feris, piscosa lacu, volucrosa fluentis,
Munda domo, fortis domino, pia regibus, aura
Dulcis, amœna situ, bona quælibet, omne venustum,
Omne bonum, si sola bonis fortuna faveret.

Est omnino scriptoribus XII^mi et XIII^mi sæculi in usu Parisios magnificis et immodicis laudibus celebrare; Archithrenius autem, missis aliis, solos scholasticos curat, eorum calamitates luget, et egestatem, famem, habitum, domum, labores diurnos atque nocturnos, divitum ac potentium in eos injustiam, quorumdam etiam philosophorum audaciam, qui *superficiales* dicuntur. Ex quibus pauca excerpsi :

1. Deformis discipuli aspectus[2] :

. . . . . vacui furit aspera ventris
Incola longa fames, formæ populatur honorem,
Exhauritque genas macies, pallore remittit
Quem dederat natura nivem, ferrugine texit
Liventes oculos, facula splendoris adusta
Exstinxit faciem, marcent excussa genarum
Lilia, labrorumque rosæ, collique pruina
Dejicitur livore luti, mœstissima vultu
Mortis imago sedet; neglecto pectinis usu
Cæsaries surgit, confusio crinis in altum
Devia turbat iter, digito non tersa colenti
Pulverulenta riget, secum luctamine crinis
Dimicat alterno; non hæc discordia paci
Redditur, intortum digito solvente capillum.

1. Archith. lib. II, cap. XVII, v. 485.
2. Archith. lib. III, cap. I, v. 13.

Digitized by Google

2. Vestis obsoletissima :

.... Defringitur ævo[1]
Qua latitat vestis, ætatis fimbria longæ
Est, non artificis, ipsa est quæ abrumpit amictum,
Portandique labor, namque omnibus unus adesse
Cogitur obsequiis, varios damnatus ad usus ;
Respirare dies nullo sudore meretur ;
Quem dederint noctes venti suspirat ad ictus,
Litigat ad Boreæ flatus, assibilat Euris
Mollibus, et Zephyri clementer ridet ad auras
Lenior, et madidis eadem lacrymatur ab austris
Penula, tot lassata malis, propiusque senectæ
Forfice tonsa pilos.

3. Parva domus :

Parva domus, res ipsa minor, contraxit utrumque[2]
Immensus, tractusque diu sub Pallade fervor,
Et logicæ jucundus amor, tenuisque laboris
Emeriti merces, et quæ de more sophistas
(Miror qua invidia fati) comitatur egestas.
Pauperies est tota domus, dissuescit ad illos
Ubertas venisse lares, nec visitat ægrum
Copia Parnassum, sublimior advolat aulas
His ignota casis, ubi pauca vetusque supellex.

4. Mensa tenuis :

Languida sordet anus, admoto immurmurat igni[3]
Urceolus, quo pisa natant, quo cæpe vagatur,
Quo faba, quo porrus capiti tormenta minantur,
Quo rigidum pallescit holus....
Hic undæ assiduo conflictu litigat unda :
Hic coxisse dapes est condivisse ; libido
Mensæ nulla venit, nisi quæ sale sparsa rigorem
Esca parum flectit, solo fit amicior usu
Cœnula luctanti, minus obluctata palato.

1. Archith., lib. III, cap. III, v. 40.
2. Archith., lib. III, cap. III, v. 56.
3. Archith., lib. III, cap. IV, v. 65.

Digitized by Google

5. Sordidi famuli :

Nudus in annoso tunicæ squalore ministrat[1]
Geta dapes. . . . . .
. . . . . luteus, macer, horridus, ore
Languidus exsangui, plumarum spumeus, hirta
Agmine cæsaries, festucæ exstantis in altum
Cuspide cristatus crinis, sylva intima denso
Pulvere pressa jacet, sed et his pejora latere
Suspicor, attritum digito scrutante capillum.

6. Cubile perangustum :

. . . . . Scabra ferrugine strati[2]
Contrahitur macies, quo vix depressior infra
Area descendit. . . . . .
. . . . . illic pugil improbus hæres
Sudat Aristotelis.

Tum studium nocturnum, soporem et somnia, tum diei noctisque labores enarrat. Quum enim totum diem scholæ et magistris impendit, suos etiam habet nox dolores, continuo itaque malorum serie scholasticus torquetur.

Hoc studii pondus, hæc est congesta malorum[3]
Philosophi moles, cui compassura quiescat
Monstrorum rabies, scopulus Scironis amico
Degeneret fletu, veniat clementia præceps
In Diomedis equos, Busiridis ara cruorem
Compluat humanum lacrymis.

Omnia, inquit, sævissima et scopulis duriora et ipsam scholarum miseriis

. . . . . flecti[4]
Naturam his spero, quibus est immota potentum
Pectoris asperior rupes, non subsidet illis

1. Archith., lib. III, cap. v, v. 84.
2. Archith., lib. III, cap. vi, v. 94.
3. Archith., lib. III, cap. xv, v. 304.
4. Archith., lib. III, cap. xvi, v. 323.

Digitized by Google

Qui veri extergunt tenebras, rerumque retrusas
Altius effodiunt causas. . . . sciendi
Gloria læsa jacet. . . . . .
Forsan et ex illis aliquis laudare veretur
Quod nescire pudet. . . . . .

Sed sunt et altiores ærumnarum causæ, languentia videlicet studia, philosophi ambitiosi et *superficiales* scientiæ.

At sunt philosophi qui nudum nomen et umbram
Numinis arripiunt[1]

Quæ de discipulorum XII^mi sæculi misera conditione monumenta supersunt satis cum Archithrenii lamentationibus concordant, ac pro certo habere possumus Annævillanum de scholis non ficta, neque dubia narrasse, sed vera et quotidiana, paululum verbis forsan exaggerata, quæ ipse viderit et expertus sit. Nam ut cetera ceterosque omittam, Joannes quidem Sarisberiensis iisdem notis, iisdem fere verbis philosophos superficiales persequitur : « Sufficiebat ad victoriam verbosus clamor, et qui undecumque aliquid inferebat ad propositi perveniebat metam.... Sed quid docebant novi doctores, et qui plus somniorum quam vigiliarum in scrutinio philosophiæ consumpserant, et facilius instituti quam illi, juxta narrationes fabulosas, qui somniantes in Parnasso repente vates progrediebantur : aut citius quam ii qui de Castalio fonte Musarum munus hauriebant poeticum, aut quam illi qui, viso Phœbo, Musarum, nedum musicorum meruerunt adscribi consortio?.... Ecce nova fiebant omnia, innovabatur grammatica, immutabatur dialectica, contemnebatur rhetorica, et notas quadrivii vias, evacuatis priorum regulis, de ipsis philosophiæ adytis proferebant[2]. Isti hesterni pueri, magistri hodierni, heri vapulantes in ferula, hodie stolati docentes in cathedra[3]. »

Superbia, præsumptione, spurcitia, desidia, tristique egestate et omnibus vitiis ita in nobilissimæ scholæ disci-

1. Archith., lib. III, cap. XXI, v. 400, insuper vid. sup., p. 20.
2. Sarisber. Metalog., lib. I, cap. III.
3. Sarisber. Metalog., lib. I, cap. XXV.

Digitized by Google

pulos sævientibus, lacrymas diutius retinere nequit Archithrenius; et Parisiis discedere parat, nam adversa lædunt fortius quum adsunt, minus afficiunt, quum distant, segniusque urit fax e longinquo.

Calamitosam nunc ambitionis sævitiam ploraturo notissimum hujus vitii exemplar, Alexander magnus, Macedonum rex occurrit. Pellam igitur Alexandri patriam se venisse fingit, ibique tanquam in propria sede, propriisque in aris offendit Ambitionem.

> Mons, surgente jugo, Pellæam despicit urbem,
> Astra supercilio libans, lunaque minorem
> Miratur longe positam decrescere terram
> Sideribus vicinus apex[1].

Ambitio, quia semper ascendere studet, altissimum dicitur habitare montem, cujus species, fructus ingenui, ornamenta, domus superpositæ, et incolæ amplissimis verbis dicuntur. Nonnulli[2] Archithrenium incœptum iter perrexisse et venisse Pellam non animadvertentes, in his quæ de Ambitionis sedibus carmen habet varia Parisiorum loca, montem San-Genovefianum, fluviolum Bieverum, aulam regiam a Clodovæo exstructam, ab Annævillano satis liquido descripta esse crediderunt; sed omnia sunt hic, ut in ceteris carminis partibus, allegorice dicta; omnia multiplicem Ambitionis speciem apte referunt. Humiles profecto arbores minime surgere possunt in superbo ambitionis solo, grandes vero, eximiæ, raræ felicissime proveniunt. Violis quoque, rosis, croco, liliisque, et aliis floribus egregiis solum pubescit, remotis quibuscumque viliioribus. Rivulus etiam ibi fluens novam exhibet Ambitionis faciem :

> . . . . . haud ulla profundo[3]
> Vilis arena sedet, lapidumque ignobile vulgus.
> Ditia luxuriant ridentibus ima metallis,
> Exundatque jubar lapidum generosa propago.

1. Archith., lib. IV, cap. II, v. 9.
2. Bulæus, Bonamy, Dulaure, et alii.
3. Archith., lib. IV, cap. IV, v. 64.

Digitized by Google

Jam incolæ montis, vitia scilicet ambitioni proxima, variique affectus ambitioni servientes enumerantur : cura, anxietas, metus, dissimulatio, spes, cupido, credulitas, favor, famæ sitis, hypocrisis, mendacium ; omnes denique luget calamitates ex ambitione ortas, quæ prima dedit remos, vela et mortifera arma, quæ bella fovet et seditiones, quæ inter populi primores sævire nunquam desinit.

Deinde aulam suspicit in montis vertice constitutam; regiam ambitionis sedem, cujus ornamenta, picturas et aulæa describit, plerisque ex Ovidio sumptis. Ibi expressa est fabula Arachnes, distinctæ anni tempestates, præteritum chaos, nascentis mundi miracula et ordo, tum ejusdem mundi finis et judicium supremum, tum Graiorum et Trojanorum varii belli casus, aliaque vatum mendacia et fabulares historiæ; cœli denique sidera et maria, tellurisque campi.

Inter incolas autem offendit ingluviem, venerem, dolum, perjurium, fraudem, crudelitatem, insidias, omnia denique vitia quorum mater est ambitio superba. Primum tamen locum tenent adulatores quos vivide describit coloribus a Terentio[1] sumptis :

> Quodlibet ad votum didicit versare favorem[2]
> Clausus adulator; ad quodvis *nolo* paratur
> *Nolo* relaturus, et si *volo* dixerit ille,
> Reddet et ille *volo ;* semel hinc *non* dicitur, inde
> Ingeminatur *non;* semel hinc *ita* dicitur, inde
> Ingeminatur *ita*. Quidquid laudaverit, illo
> Nil melius ; quidquid animo non sederit, illo
> Nil visum est pejus; si quid jubet acrius, ipsum
> Juratur licuisse nefas; si mitius, ipso
> Tollitur ad superos melior Jove; quidquid agatur,
> Id bene, nil melius. . . . . .
> . . . . . vultus accommodat omni
> Fortunæ domini, nusquam vestigia mutans :

1. Cf. Terent. Eunuch., v. 248, et Juvenal., Sat. III, v. 100.
2. Archith., lib. IV, cap. XV, v. 377.

Digitized by Google

Solvitur in risus in quos se solverit idem,
Ore pluit lacrymas, animo quas pluerat idem.

Hæc igitur aliaque multa notat Archithrenius et in homines vana ambitione laborantes acerrime invehitur. Mox se offert Præsumptio, quæ ambitioni cognata, proximam sortita est sedem; ibi, in colle Præsumptionis.

. . . . . Testudo volat, fastidit in alto[1]
Mergus aquæ sedes; aquila cessante, ministrat
Arma Jovis milvus, spolio contendit olori
Corvus, id est, ferrugo nivi, strepit anxius anser
Actæam vicisse lyram, cæcusque pererrat
Bubo diem, Nisumque fugat torpentibus alis,
Dum mendicata sequitur cornicula penna.
Hic lepus insurgit animo pallente leoni.

Fabulosa deinde refert præsumptionis exempla, Nioben, Phaetonta, Nessum, Gigantes, et alios, tum ex recentioribus Theodotum et Persium qui Flacci stylum *mendicare* ausus est; tum prælatos et magistros qui nondum maturi annis honores anhelant et cathedras.

In altissimo autem jugo ejusdem collis eminet imperiosa regina Pecunia, fecunda parens vitii, quæ totum suis legibus voluit adstringere orbem. Haud procul suam sedem habet Superbia cujus consilia secutus æternos gemitus dat Lucifer. Cœlo igitur depulsa, sed siderei ortus non oblita, potentium regumque domos adit Superbia, nec humiles casas intrare dignatur.

Completa invectione in superbiam, tristem cœli scabiem, terræ contagium, mortis primitiale malum et causam, primamque dolendi januam, iterum lacrymans viam persequitur,

Jamque pererrato per plana, per aspera, mundo[2],
Parte tenus magna, monstrum reperitur eunti,
Insolitus terror; nam cœlum vertice pulsat,

1. Archith., lib. V, cap. I, v. 5.
2. Archith., lib. V, cap. X, v. 239.

Digitized by Google

Et patulis terræ digitis superoccupat orbem,
. . . . . .
Mater avaritiæ, somni jejuna, Cupido,
Æternam damnata sitim producere, nullis
Exsatiata bonis, lucri studiosa, rapinis
Artifices factura manus, visura recessus
Antipodum.

Visu horret Archithrenius, gravissimaque statim intelligit mala Cupidinis quæ

. . . . fas abolet, cancellat jura, resignat[1]
Fœdera, pacta movet, leges abradit, honestum
Damnat, amicitias rumpit, divellit amorem,
Subscinditque fidem, plena est discordia....

Evolvuntur multa cupidinis exempla, nondumque finem fecit verbis, quum insolitum clamorem audit, armorum strepitum, Martisque tonitrua. Protinus ad fragorem iter flectit: nova pugnatur pugna, densis noctescit cœlum jaculis, gladiis micat aer, fulminat ignis, tellusque sanguine rubescit. Quod primum timido animo prospicere vix ausus est, nunc propius intueri non dubitat Archithrenius.

Tum accedit ad eum eques Evalganus nomine, Tros natione; hic antiquam Britannorum a Trojanis originem et præclara priorum Angliæ heroum facinora enarrat, et memorat Corinæum qui nomen dedit Cornubiæ, Brutum a quo Britanniæ nomen et Gigantes qui antiquitus Britanniam, tunc Albion appellatam habitabant, deinde Arthurum et alios plures ac postremo Kamophrygium, Gualteri patrem. Idem Archithrenium docet se contra avaros pugnare. Castrorum autem avaritiæ duces sunt Crassus, Septimuleius et Ptolemæus; oppositis castris præsunt Arthurus, Kamophrygius et Evalganus ipse qui his verbis orationem absolvit :

At me bella vocant, et te tua forsitan urget[2]
Sollicitudo. Vale.

1. Archith., lib. V, cap. x, v. 258.
2. Archith., lib. VI, cap. I, v. 9.

Digitized by Google

§ 5. *Archithrenius philosophos septemque Græciæ sapientes audit de virtutibus et vitiis disputantes.*

Jam toto perlustrato orbe, nec usquam inventa Natura, majore cum studio cœptum pergit iter, nec ulla mora datur, donec tandem, trajecto mari,

> Floridulum mundi thalamum verisque penates[1]
> Advenit usque Thylen, ubi nunquam labitur absque
> Præterito præsens, plus quam perfecta venustas;
> Perpetuatur honos rosulis, intacta senectæ
> Lilia pubescunt, senium nec bruma, nec æstas
> Advehit, et veris æternativa juventam
> Floribus ipsa loci deitas nativa perennat.

Hanc insulam remotissimam totius orbis et omnium rerum miraculis notissimam multi poetæ celebraverunt; hanc philosophorum quoddam elysium esse fingit Annævillanus; ibi Archithrenius præcipuos deprehendit philosophos quem inter homines habebant morem in istis felicibus campis retinentes; sermonem enim inter se de virtutibus et vitiis serunt nunc ambulantes, nunc circulatim sedentes. Et tum maxime Archytas graves iræ excessus explicabat, ceterorum in eum ora conversa erant, quum, Archithrenius spectaculo allectus propius accedit et in pratulo considet, ut omnia sedulo percipiat beneque vivendi præcepta hauriat. Quin etiam ipse suo loco verba faciens lamentatur de pœna æterna quæ manet vitam immundam. Thales autem e propinqua sede Archithrenium plorantem his verbis alloquitur :

> Quisquis es, hunc nostræ cyathum libato Minervæ[2];
> Parce, puer, lacrymis, fletus agnosce virilem
> Dedecuisse genam; pudor est hoc imbre rigorem
> Immaduisse viri; lacrymæ planctusque loquuntur

1. Archith., lib. VI, cap. II, v. 19.
2. Archith., lib. VII, cap. IX, v. 280.

Digitized by Google

Degeneres animos, riguumque facillima flendi
Femina pectus habet, didicitque cadentibus ultro
In lacrymis clausisse dolos, reserasse dolores.

Undeviginti philosophi ordine sequenti loquuntur :

1. Archytas de ira,
2. Plato de livore,
3. Cato contra divitias,
4. Diogenes de contemnendo mundo,
5. Socrates iterum contra divitias,
6. Cicero de prodigalitate vitanda,
7. Plinius quid sequatur ex luxu,
8. Crates de aulæ incommodis,
9. Seneca de gloriæ contemptu,
10. Boetius de potentium inclementia,
11. Xenocrates de libidine,
12. Pythagoras contra ingluviem.

Hoc loco enumerantur septem sapientes qui Græciam primo, postea totum orbem moribus et scientia illustrarunt.

13. Post ipsius Archithrenii lamentationem de noxiorum pœna æterna, septem sapientes suam quisque orationem suasque sententias expromunt,
14. Thales de timore Domini,
15. Bias quod Deus diligendus sit ex animo,
16. Periander de Dei cultu contra hypocrisin,
17. Philo contra exempla prava,
18. Pittacus de mansuetudine expetenda et de superbia vitanda,
19. Cleobulus Pindius de fortitudine,
20. Solon tandem de prudentia et vitæ optima ratione, et de subita morum Polemonis mutatione.

Quæ orationes 1240 versibus absolvuntur; quartam igitur totius carminis partem et amplius efficiunt; ridicula pompa, ampullis et cavillationibus, importunisque argutiis plerumque refertæ; idem insuper in omnibus tenor, idemque in philosophis tam diversis dicendi genus, nulla inge-

Digitized by Google

niorum doctrinarumque habita ratione ; nonnunquam tamen aliquid leporis habent, quo levatur tædium ; pauca deligere non vereor quibus et præcipuæ sententiæ et probabiles locutionis formæ innotescant.

Hæc quidem in Platonis de livore dictis mihi notatu digna visa sunt :

Livori assistunt rabies animosa, tumultus[1],
Pax armata dolis, suspectum fœdus, amoris
Umbra, latens odium, gladio Mars igneus, arma,
Arma, viri, Bellona tonans, et pronuba belli
Seditio, primumque ferens discordia pilum.

Diogenes suo loco haud insulsis verbis depingitur :

Subjicit his[2] nec amara timens, nec dulcia sperans[3]
Diogenes, fixus animo, sed mobilis æde :
Si quidquid gemino Phœbus complectitur arcu
Imperio stringas, tumulo non major humandus
Occidis, et tandem cui non suffecerat orbis
Magnus Alexander parvæ non sufficit urnæ.
. . . . . .
Si toto physicæ lucteris robore lucis
Continuasse moras, flamen tamen Atropos ævi
Rumpit, et in mortem non est præscriptio vitæ.

Socrates Diogenem commendaturus continuo suscipit ac primo quædam haud inepta de doliolo præmittit :

. . . . . O rara verendæ[4]
Majestas casulæ, soliumque volubilis aulæ
Doliolum, cujus, patula fore, janua nunquam
Limine nodatur, non objectura frequenti
Ostia convivæ, nec mandatura repulsæ
Dedecus occursu ; fervorem et frigus, utrumque
Evasura malum, nec conquestura molestas
Aeris esse vices, properanti terga periclo

1. Archith., lib. VI, cap. IV, v. 90.
2. Quæ a Catone dicta sunt.
3. Lib. VI, cap. VIII, v. 196.
4. Lib. VI, cap. IX, v. 243.

Digitized by Google

Objicit, et versæ faciem non verberat austris
Æolus, imber aquis, nive bruma, vaporibus æstas;
Magni[1] sprevit opes, curarum pondus et aurum
Insidiis plenum, suspectaque munera leti
Horruit, intactus gladios ridere latronum
Maluit, et juguli vacuum servasse cruorem.

Quum Senecam introducit, data occasione utitur ut Lucanum nominet, Senecæ nepotem, a quo non abhorret inflatus Annævillani sermo.

Thales, christianorum more, timorem Domini, januam virtutum, initiumque sapientiæ esse ostendit: etiam christianissimis Bias verbis Deum medullitus diligendum esse præcipit; itemque Periander, Philo, Pittacus, Cleobulus et Solo christianas celebrant virtutes Archithrenioque amplectendas suadent; Pittacus longius progrediens ipsius Christi mansuetudinem ac humilitatem collaudat. Quædam Cleobuli Solonisque nomine prolatæ sententiæ peracuti ingenii virum sane declarant :

. . . . . felicia nunquam[2]
Magnanimo desunt; animo fortuna virili
Omnis læta venit; fatum lugubre videri
Debilitas infirma facit; quæ sævius instant
Materiam virtutis habent; certissima sunt hæc
Argumenta viri, virtusque abscondita lætis
Prodit in adversis. . . . . .
. . . . . umbram
Prospera virtuti faciunt, adversa lucernam.
Ardua dum surgunt pendente Ceraunia fluctu,
Eversumque suas pelagus spumescit in iras,
Attollique fretum superis contendit, et audax
Fluctus in astra volat, lunamque exstinguit et ipsos
Falciferos axes, nunc trudit ad ultima navem
Tartara, nunc raptam superis nolentibus offert;
Nunc prora, nunc puppe cadit, nunc surgit, utraque
Sæpe bibente, ratis, trepida nunc claudicat alno,
Luctanti cessura freto, dum pugnat et auræ

1. Alexandri.
2. Archith., lib. VIII, cap. III, v. 106.

Digitized by Google

Fluctibus et ponti, fervetque in funera toto
Mors armata mari; tunc remigis arte fruendum est,
Tunc laus est vicisse fretum, tunc, si qua potestas
Est nautæ, fit tota palam; nec deside tutum
Est languere mora; venienti occurrere fato
Uniusque manu populi servasse salutem
Expedit. ut pelagi victorem fama coronet.
. . . . . .
Rem male prævisam dubius manet exitus, alis[1]
Evolat insolidis, si quem rapit impetus ausu
Non bene pennato. . . . . .
. . . . . .
Quidquid agis, virtus illud præmandet, et orsus
Perfice, nam cœpti qui finem præterit errat,
Turpius admittens quam qui non inchoat: illud
Accusat levitas, hoc disquisitio recti
Excusare potest. . . . . .
Si qua tamen cœpisse pudet, clausisse pudoris
Et culpæ est, scelerumque licet rescindere cursus;
Imperfecta solent veniam delicta mereri,
Et levius lædit qui parcius institit error.
. . . . . .
Parce tuæ laudi, si quid bene gesseris, alter[2],
Te tacito, laudet, aliis dicenda, silendum
Est tibi, nec vacua sunt laude silentia laudis.

Postquam copiosiore sermone tot philosophorum sententias exposuit Annævillanus, insigni documento ostendit quanta ex sapientum disputationibus et præceptis percipi possit utilitas, allato notissimo Polemonis exemplo, qui ex dissoluto juvene, Xenocratis disciplina et monitis, subito mutatis moribus, philosophus ipse evasit gravis et honestus. Quam narrationem ex Valerio Maximo[3] et Diogene Laertio[4] depromptam omni ingenii sui industria ornavit[5].

1. Archith., lib. VIII, cap. IV, v. 157.
2. Archith., lib. VIII, cap. IV, v. 177.
3. Valer. Maxim., lib. VI, cap. IX.
4. Diogen. Laert., lib. IV, § 16-20.
5. Archith., lib. VIII, cap. V, v. 250.

Digitized by Google

§ 6. *Naturam tandem invenit Archithrenius.*

CARMINIS CONCLUSIO.

Saluberrima philosophorum dicta secum animo volvebat Archithrenius, cum tandem oculos attollens nova formosæ mulieris specie movetur, quam esse eam ipsam Naturam, quam tanto labore jamdudum expetat, a Solone edoctus summo cum gaudio agnoscit, ejusque formam, sedem, comites oculis perlustrat. Rosas et lilia eximiosque flores effundit fœcunda tellus, nunquam sævit hyems, neque bruma, sed ver æternum, dulcisque zephyrus ibi fovent vitam perpetuam[1].

Properanti Archithrenio negatur fandi copia; ipsa enim Natura acerrimo Archithrenii desiderio gravem moram affert, illiusque precibus minime obsecuta, amplissimum de astris cœlestibusque sermonem instituit. Hæc cœli descriptio omnino a re aliena videtur, nec aliam habet causam nisi insanum illud studium quo poetæ hujus ævi flagrabant Capellam imitandi in omnibus carminis partibus. Capella cœlum descripsit, cœlum describere voluerunt et Annævillanus et Alanus[2]. Via tamen probabili ad rem et propositum revertitur auctor: Natura enim omnia quæ ubicunque videntur in cœlo et in terra, in hominis usum creata et ordinata esse contendit, vanas igitur esse et sine causa perpetuas hominum querelas.

Archithrenius tandem altero de astris sermone jam exsaturatus, Naturæ adhuc loquentis genua amplexus in has voces erumpit:

> Hoc nihil, immo minus nihilo, dea, respice, fletus[3]
> Fonticulos, stagna lacrymæ, mœroris abyssos
> Extenues, et plena malis vivaria sicces.

1. Cf. Boetium, Capellam, Septimellensem et maxime Alanum de Insulis.
2. Vid. inf. p. 87.
3. Archith., lib. IX, cap. IX, v. 156.

Digitized by Google

. . . . . .
Oh! paterisne tuam scelerum, Natura, flagellis
Affligi sobolem! quæ sic in pignora pacem
Maternam turbavit hyems? odiumne novercæ
Matris amor didicit? . . . . . .
Sed quid ago! dubito luctusne refundere culpam
In matrem liceat! matrem vexare querelis
Exhorret pietas. Prohibet reverentia matris,
Imperat ira loqui. . . . . .

Ut primus iræ dolorisque furor relanguit, lacrymarum causam animique vota plane expandit. Vitam igitur integram ac sanctam, moribus optimis honestam, virtutibus ornatam, omnibusque vitiis vacuam a Natura efflagitat Archithrenius.

Dea primum diluit quæ de sua in homines immanitate injuriose objecta sunt, deinde mirificum promittit munus quo vitia a radicibus recidentur, quo Archithrenius, juvenis ætate, jam animo senex fiet. Lacrymosam videlicet sterilemque vitam ducere non licet, inquit Natura, oportet hominem fructus ferre non adulterinos, sed honestos, qui sint sacri pignora connubii. Archithrenio igitur Moderantiam virtutem, quæ sub nobilissimæ Virginis specie inducitur, commendat, ejusque cum Archithrenio conjunctio matrimonii simulatione celebratur[1].

Est mihi dilecta nivei signata pudoris[2]
Clave, nec attrito marcens virguncula flore.
. . . . . .
Obnubit splendore diem, noctisque profundæ
Peplum siderei vultus carbunculus urit.
. . . . . longo *Moderantia* nobis
Cognita convictu rerum, cautissima morum,
Ingenio felix, virtutis filia, natu
Nobilis, et thalamos meditanti nubilis anno.
Pulchra, pudica tamen, dabitur tibi; sacra ligabo
Fœdera, quæ nulla caveas diffibulet ætas.

1. Hic doctissimus Ginguené et alii (Hist. litter., t. XIV, art. Jean de Hantville) incredibili errore Naturam Archithrenio suadere affirmant ut vero matrimonio sibi adjungat puellam quamdam, nomine Moderantiam.
2. Archith., lib. IX, cap. XI, v. 250.

Digitized by Google

Ipsa quidem vitii pravos exosa susurros
Haud immunda pati poterit consortia.

His primis lineis virtutem Moderantiam quis non agnoscat! Nonne Moderantiæ nomine virtutem illam aperte significat Annævillanus quam philosophi prudentiam, sapientiam, moderationem aliove nomine appellaverunt? quæ temperat aurigaturque modos in factis et dictis.

Moderantia hæc, suum singulis modum definiens, omnes quodammodo virtutes complectitur, nam

Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum[1]

Aptissimum igitur consilium a Natura datur Archithrenio atque omnibus qui honestam instituere decreverunt vitam. Sed consilium illud omnibus ex partibus nondum cognovimus; Moderantia enim multas virtutes habet comites, quæ inter munuscula nuptiarum et sponsæ margaritas ac monilia ponuntur :

. . . . . concordia pacis[2]
Fœdus, amicitiæ nodus, correctio voti,
Integritas recti, virtutis serrula, morum
Lima, rigor mentis, majestas oris, honesti
Pondus, habena modi, scelerum succisio, culpæ
Meta, Minerva boni, medii via, methodus æqui,
Munditiæ pecten, vitæ fragrantia, famæ
Gratia, solamen miseris, cautela secundis.

Pro acceptis vero beneficiis ipse quædam refert satagens Archithrenius :

A tenui sponso tenuis donatio : dantur[3]
Obsequium carnis, animæ tractabilis usus.

Totum quidem se Moderantiæ regendum tradit, ut ipsa deinceps omnes Archithrenii corporis motus et animæ affec-

1. Horat. epist., lib. XVIII, v. 9.
2. Archith., lib. IX, cap. XVIII, v. 383.
3. Archith., lib. IX, cap. XX, v. 414.

Digitized by Google

tus dirigat. Jamque a lacrymis temperat, fœderis nodum instanter petit, locus legitur, contrahitur curia, producitur Virgo et illico fiunt nuptiæ.

Tum resonant lætissimi concentus omnis generis organis et fidibus; quin etiam aves sacra nuptialia certatim concinunt; celebratur denique convivium, Moderantia simul et fortunato conjuge dignum.

Fortuna ipsa favet nuptiis et blandis oculis epulas percurrit. Felicissimam deinceps vitam degit Archithrenius, quam nullis turbandam esse molestiis innuit auctor, dum perpetuum declarat nuptiale convivium :

> . . . . . connubia virtus [1]
> Sanciat, et dempto convivia fine perennet!
> Hic igitur suspendo stylum, procedere ruptis
> Erubeo mensis, quarum producere tempus,
> Non breviasse decet; metiri prandia nolo,
> Quæ Deus assiduo faciat succedere gustu,
> Nec satie minuet epulandi fixa voluptas!

Supervacuum jam foret iterata explanatione omnem carminis ordinem breviter complecti, cum satis superque perspexerimus quid sibi voluerit auctor tam in instituendo poemate, quam in singulis ejus partibus, in operis summa et conclusione, in veterum poetarum imitatione.

Æqualium [2] more et Statii [3] potissimum exemplo subjicit epilogum quo carmini suo tanquam filio dilectissimo supremum vale dicit, ipsumque posteris valde commendat :

> O longum studii gremio nutrita togati [4]
> Ingenii proles rudis et plebea, libelle,
> Incolumis vivas, nec te languescere cogat
> Invidiæ morsus, quo morbificante bonorum
> Febricitat nomen, et eo tortore coævis
> Ægrescit titulus! Forsan tibi si qua favoris

1. Archith., lib. IX, cap. xx, v. 467.
2. Vid. Alani Anticlaudianum.
3. Stat. Thebad., lib. XII, v. 819.
4. Archith., lib. IX, cap. xxvi, v. 475.

Digitized by Google

Uncia debetur, peplo livoris amicta
Non poteris venisse palam, dum sorbeat auras
Vivificas auctor; ortum lux illa Joannis
Sumat in occasu! sol ille a funeris urna
Surgat, inexstincto semper spectabilis igne!
Sub fati tenebris me noctescente diescat
Hic liber, et famæ veterum feliciter annos
Æquet, in æternum populis dilectus et ultra!

Certum quidem cum Boetii libris de *Consolatione Philosophiæ*, majorem etiam cum Martiani Capellæ *Satirico* cognationem in hoc Archithrenii argumento quisque deprehendet; minimeque in errore versari videatur qui Annævillanum, quum suum Archithrenium effingeret, Martiani de *Nuptiis Philologiæ et Mercurii* carmen præcipue in mente habuisse contendat. Totam poematis informationem ac prima delineamenta, in novem libros distributionem, viam commentitiam, philosophos disserentes, sermonem de astris, nuptiarum solemnia, ipsam denique fabulam ex Martiano sumpsisse videtur Annævillanus. Vellem, quo cognatio prima fronte planius appareret, præfigere carmini titulum de *Nuptiis Archithrenii et Moderantiæ*.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

DE CETERIS EJUSDEM ÆTATIS POEMATIBUS ARCHITHRENIO SIMILIBUS.

§ 1. *Henrici Septimellensis carmen de Diversitate Fortunæ et Philosophiæ consolatione.*

Henricus Septimellensis ex Etruria oriundus, pago quodam agri Florentini qui septimo ab urbe Florentia lapide Lucam euntibus occurrit, alias *Samariensis* et *Florentinus*, vulgo *Henricus Pauper* appellatur. Genus suum agreste ipse fatetur auctor:

Sim licet agresti tenuique propagine natus[1],
Non vacat omnino nobilitate genus :
Non præsigne genus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas vera nobilitate viget ;
In tenui calamo latitat mel sæpe suave,
Et modici fontis temperat unda sitim.

Studiis operam dedit Bononiæ[2]; adeo pauper fuisse traditur ut, quum papyrus deesset, versus suos in veteri et

1. De diversit. Fortun., lib. II, v. 205.
2. Dic ubi sunt quæ te docuit Bononia quondam? De div. Fort., lib. III, v. 70.)

Digitized by Google

attrita pelle describere cogeretur. Scripsit carmen de *Diversitate Fortunæ et Philosophiæ Consolatione* anno 1191 aut 1192, quod ex libri II[i] versibus 61-64 patet :

Nuper Alemannus[1] Siculam delatus in oram
Ludendo[2] Fericam[3] perdidit ipse suam.
Perdidit hic equites, rochos peditesque minores,
Perdidit et calphos ; vix bene tutus abit.

His enim verbis significat adversam anni 1291 expeditionem, quam anno 1193 felicioribus armis sarcivit Henricus VI[us] Siciliam omnem expugnando. Meminit etiam (lib. III, v. 164) Richardi, Angliæ regis, nuperrime capti, quod anno 1192 evenisse constat.

Usus antea summa felicitate et postea ad summam inopiam delapsus carmen hoc de *Diversitate Fortunæ et Philosophiæ consolatione* misit ad episcopum Florentinum.

Mille versus habet Elegia, dividitur autem in quatuor libros. In primo queritur Henricus de miseriis et adversis casibus quibus premitur; in secundo Fortunam acriter increpat, quæ, ut se purget criminibus, ipsa advenit et plurima verba facit; in tertio introducit Philosophiam, optimam juvenis altricem, quæ, postquam illum graviter reprehendit, mox pie consolatur; quibus consolatoriis admonitionibus absolvitur fabula. Tria sibi proposuit Henricus exemplaria quæ imitaretur. Jeremiam scilicet, Job et maxime Boetium, quæ subsequenti enarratione lucescent.

Quomodo sola sedet probitas? flet et ingemit aleph[4],
Facta velut vidua, quæ prius uxor erat!
Cui de te, Fortuna, querar? cui? nescio. Quare
Perfida me cogis turpia probra pati?

1. Henricus VI, Frederici I, imperatoris filius, anno 1191, infelicem in Apuliam expeditionem suscepit adversus Tancredem, Siciliæ usurpatorem.
2. Vocabula quibus cladem hanc notat ex terminis technicis ludi latrunculorum sumit.
3. Fericæ nomine uxor Henrici Constantia appellatur quam Tancredus cepit.
4. De divers. Fortun., lib. I, v. 1. Cf. Jerem.

Digitized by Google

Gentibus opprobrium sum, crebraque fabula vulgi.
Dedecus agnoscit tota platea meum.
Me digito monstrant, subsannant dentibus omnes,
Ut monstrum monstror dedecorosus ego.

Post hanc lamentationem pristinæ meminit fortunæ :

O bona prosperitas, ubi nunc es? nunc mea versa est
In luctum cithara, flt lacrymosa lyra.
. . . . . .
O felix qui non est usus prosperitate
Nam venit ex sola prosperitate dolor.
Non sine felle suo dulcet fortuna ; nec albet
Absque pigredine, nec mons sine valle fuit.
. . . . . .
Ut gravius cadit hic, quem format forma gigantis
Quam nanus, cujus parvula forma sedet ;
Ut plumbum gravius pluma, paleaque lapillus,
Sic gravius cadit hic qui bona multa tulit.
Hinc ego qui fueram satur omni prosperitate,
Hoc verum fateor omnibus esse modis.

Causam suæ infelicitatis frustra quærit, Deum, Jovis nomine, orat ut omittat flagella :

Quid tibi, magne, tuli? Quid? Jupiter! unde nocendi[1]
Ista sitis? cœli fulmina nulla tuli.
Nec petii thalamos Junonis, nec volui; Nec
Sæva giganteis fratribus arma dedi.
Cur mihi, sæve, noces? Cur? Cur? dic : Nescio. Nescis?
Ergo quid innocuo, Jupiter alte, noces?
. . . . . .
Quid me persequeris? o quam victoria parva
Est, miserum multis lædere posse malis.
Desine! Quid mirum, Davum si vincat Achilles,
Et si Thersiten conterat Hector equo.
. . . . . .
Ad lacrymas redeo. . . . . .
Est cibus anxietas; lacrymæ sunt pocula; pœna
Panis, vina dolor; est mihi vita mori[2].

1. De divers. Fortun., lib. 1, v. 25.
2. Cf. Job, Jerem., Archith.

Digitized by Google

Tum famosas veterum calamitates et viros miseriis clarissimos de quibus memoriam accepimus, similitudines, parabolas undique collatas refert, Tityum, Tantalum, Phaetonta, Nioben, Job et alios qui ei prosperitate usi esse videntur sua ipsius mala consideranti. Quandoque etiam claras antiquorum sententias non insulse repetit :

Me domini, socii, me, quod magis est, et amici[1],
Proh scelus! in medio deseruere mari.
Dum zephyrus flabat, multis sociabar amicis,
Nunc omnes aquilo turbine flante fugat.
Ut Philomela canens frondes sonitumque canorum,
Et nemus et sylvas frigore tacta fugit,
Sic hyemis casus horrendaque nubila vitans,
Omnis in adversis rebus amicus abest.

Hanc similitudinem per triginta protrahit versus, et tandem omnibus quæ nocte diuque perpetitur malis enumeratis :

Tot mala, tot pœnas patior, quod si quis arenam[2]
Conferat in numero, cedat arena meis;
Pagina sit cœlum, sint frondes scriba, sit undà
Incaustum[3], mala non nostra referre queant.
Tam gravibus lædor, quod non pejora timesco.
Qui summe miser est, plus nequit esse miser.
Sit maledicta dies, in qua concepit, et in qua
Me mater peperit, sit maledicta dies!

Deum vehementer etiam atque etiam rogat ut finem aut dolori aut vitæ concedat, ipsam denique Fortunam durius increpat :

Tu quoque vesani promptissima causa doloris[4],
Ausculta, et sceleris, perfida, siste rotam.
. . . . . .

1. De divers. Fortun., lib. I, v. 127.
2. De divers. Fortun., lib. II, v. 233.
3. Incaustum, gallice : encre.
4. De divers. Fortun., lib. II, v. 29.

Digitized by Google

Numquid ego Scarioth[1]? Numquid sum Pontius[2]? unde
Tam graviter merui tanta flagella pati?
. . . . . .
. . . . . .
Dic mihi, quid feci? Responde, lingua dolosa,
Responde per eum qui super astra sedet.

Quibus tandem gravissimis objurgationibus Fortuna lacessita dissolvit crimina, eidem Henricum fatorum imperio subjectum esse docens, quo omnes homines, Græci, Latini, Hebræi et Barbari, et omnia regna premantur; sic primo matrem, deinde novercam fuisse Fortunam Henrico VI°, Frederici I^mi imperatoris filio, Pompeio, Dario, Cyro, quibus pejora passurum Henricum Septimellensem. Tunc ira ille accensus :

Quæ pejora potes, meretrix Fortuna, noverca[3]
Pessima, Medea dirior, hydra ferox?

Acerrimis his jurgiis contendere non desinunt, donec Fortuna de medio recessit, statimque Philosophia Henrici oculis se offert.

Cum mea lamentans elegiaca facta referrem[4]
Et cum Fortunæ verba inimica darem,
Ecce nitens, proba, quæ Salomonior est Salomone,
Ante meum mater lumen amœna stetit[5].

Describitur Puella cum suis ancillis, septem scilicet artibus liberalibus :

Hanc Phronesin dictam septena cohors comitatur[6]
Præbuit officium cuilibet illa suum :

1. Judas Iscarioth.
2. Pontius Pilatus.
3. De divers. Fortun., lib. II, v. 76.
4. De divers. Fortun., lib. IV, v. 1.
5. Cf. Boet. de Consolat. Philosoph.
6. De divers. Fortun., lib. III, v. 5.

Digitized by Google

Prima[1] fovet pueros; alia[2] sylogizat; amœnat
Tertia[3] colloquiis; perticat illa[4] solum;
Hæc[5] abacum monstrat; alia[6] philomelat, et altum
Erigit ad superos septima[7] virgo caput.

Continuo Philosophia Henricum discipulum semper carissimum alloquitur et molliter corrigit animum ad Fortunæ casus ferendos infirmum :

Disce gravanda pati. Patientia temperat iram[8]
Et diros animos mentis oliva domat.
Nonne recordaris veluti, stimulante tyranno,
Moriger innocua Seneca morte perit?
Nonne meus Severinus[9] inani jure peremptus
Carcere Papiæ non patienda tulit?
Nonne cupidineus, metrosus Naso, magister
Expulsus patria pauper et exul obit?
Quid referam multos, quorum sine crimine vita
Verbera Fortunæ non patienda tulit!
Silva capillorum numeratis cederet illis,
Quos necis immunes inclyta vita dedit.
Aspera ferre decet; maturant aspera mentem,
Et bene matura plenius uva sapit.
Per nimios æstus gelidas transitur ad umbras;
Sicque per oppositum dulcia quærit homo.
Laurea pro pœna, pro morte corona resultat.
Unde laborat homo, præmiat inde labor.
Quid facis, immunde, mundique immunda quid optas?
Immundus mundus quæ tibi munda dabit?

Hic ultimus versus, quo poeta maxime delectari videtur, pluribus in locis hujus elegiæ recurrit.

Ea quæ sequuntur Boetii libros de *Consolatione Philoso-*

1. Grammatica.
2. Logica.
3. Rhetorica.
4. Geometria.
5. Arithmetica.
6. Musica.
7. Astronomia.
8. De divers. Fortun., lib. III, v. 45.
9. Boetius.

Digitized by Google

phiæ tam servili imitatione exprimunt, ut mihi supervacaneum esse videatur reliquam carminis formam et materiam describere. Paucos adhuc versus et locos exponam quibus Henrici scribendi sentiendique ratio magis elucescat. Præcepta commemorat Philosophia quibus olim discipulum nutriverit :

Dic ubi sunt quæ te docuit Bononia quondam[1] ?
Hæc ego, dic, ubi sunt, quæ tibi sæpe dedi?
Te multum fovi, docui te; sæpe rogavi;
Et mea secreta sæpe videre dedi.
Tu mea vitis eras, tu palmitis umbra novelli;
Tu fructus validam spem mihi sæpe dabas.
Te rastris colui, sepis ac munimine cinxi;
Et lapides ex te, et cuncta nocenda tuli.
Tempus adest fructus; vitis dedit ipsa labruscos,
Proque rosa crevit aspera spina mihi.

Postquam multa hortatione et sapientissimis consiliis firmavit Henrici animum, hæc novissima verba addit :

Hæc præcepta libens vigili trahe morbidus aure[2],
Quæ permixta simul combibe, sanus eris.
Et licet hæc bona sint, multa potiora relinquo,
Quæ non sunt humeris officiosa tuis,
Hæc tibi sufficiant. Non omnia possumus omnes;
Tu quod habere vales, suscipe, velle sine.
Argento fruitur, rutilans cui deficit aurum;
Et violas capit is qui nequit ungue rosam.
Tunc iter arripiens, ait : Hæc, Henrice, reconde,
Et finem verbis hunc dedit illa : vale.

§ 2. *Alani de Insulis liber de* PLANCTU NATURÆ.

Duos fuisse Alanos ab Insulis plerique olim contenderunt, utrumque et doctissimum, et instituti Cisterciensis et ejusdem fere ætatis; hodie vero constat unum tantum fuisse

1. De divers. Fortun., lib. III, v. 70.
2. De divers. Fortun., lib. IV, v. 221.

Digitized by Google

Alanum qui totum fere sæculum XII^mum^ tenuerit, ab anno 1114 ad annum 1203, et, magna doctrina atque operum numero et varietate, *Doctoris Universalis* obtinuerit cognomen. Natus est Insulis, urbe primaria Flandriæ Gallicanæ. Anno circiter 1118 factus est apud Claramvallem sub disciplina divi Bernardi monachus. Ripatorii monasterii anno 1139 vel 1140 in diœcesi Tricassina[1] ordinis Cisterciensis, Alanum primum abbatem, triginta annos natum Bernardus constituit. Anno 1151 Alanus ex abbate Ripatorii episcopus Antissiodorensis factus, postea, anno 1167 episcopatum dimittit et ad Claramvallem revertitur. Quum multa et varia, theologica, et philosophica et poetica scripsisset[2], anno 1203 mortuus est. Nos satis habebimus de *Planctu Naturæ et de Anticlaudiano* nonnulla disserere.

Librum de *Planctu Naturæ* qui etiam inscribitur, *Enchiridion* de *Natura rerum*, de *Conquestione Naturæ*, *Tractatus contra Sodomæ vitium*, pluries typis mandatum et variis lucubrationibus illustratum reperimus.

In universum hic liber forma, lineamentis, ordine, metrici ac soluti sermonis temperata admixtione, speciem librorum Boetii de *Consolatione Philosophiæ* refert, argumento vero et proposito cum Archithrenio notabilem habet conjunctionem.

Elegia a planctibus fletibusque incipit; queritur poeta de pessimis moribus, libidinum intemperantia, omniumque vitiorum appetitu nullis frenis compresso. Plangentem

1. Troyes.
2. Opera Alani insulensis insigniora :

   1. Commentarius in Cantica canticorum ad laudem Beatissimæ Virginis Deiparæ.
   2. Summa de arte prædicandi.
   3. Undecim sermones integri de diversis materiis.
   4. Dictorum memorabilium seu Sententiarum Magistri Alani liber.
   5. Pœnitentiale seu liber Pœnitentialis.
   6. Opus quadripartitum de fide catholica contra Waldenses, Albigenses et alios hæreticos.
   7. Liber de Planctu Naturæ.
   8. Anticlaudianus.

Digitized by Google

subito adit *Natura* : « Quum hanc, inquit, elegiam lamentabili modulatione crebrius recenserem, mulier [1] ab impassibilis mundi penitiori dilapsa palatio, ad me maturare videbatur accessum, cujus crinis non mendicata luce sed propria scintillans, non similitudinarie radiorum repræsentans imaginem, sed eorum claritate nativa naturam præveniens, in stellare corpus caput effigiabat puellæ; quod duplex tricatura diffibulans, superna non deserens, terræ non dedignabatur osculo arridere. »

Mulieris, *Naturæ* videlicet pulchritudinem, formam, vestem, ornatum, currum, aurigam et comites incredibili quodam et redundante copia describit. Naturam advenientem omnia elementa concelebrando satagunt, quasi suas renovantia naturas. Firmamentum, quasi cereis virginis iter illuminans, suis sideribus plenius radiatur. Phœbus etiam vultum solito lætiorem occurrenti puellæ ostendens, omnes luminis effundit divitias; sororem etiam, veste jucunditatis reddita, reginæ jubet occurrere. Aer vultum nubium exuens lacrymosum, ore sereno micat; primum aquilonaris iræ insania vexatus, nunc in tranquillo Favonii gremio conquiescit; aves alis ludentibus joculantes virgini festiva concinunt. Infinitum erat singula persequi: nam rerum universitas miro certamine connititur sibi reginæ gratiam comparare.

Quam quum Alanus propiorem jam conspexit, in faciem decidens, mentem exuit totusque in « *exstasis alienatione sepultus, nec vivus, nec mortuus, inter utrumque laborat.* » Natura Alanum benigne erigit animum recreans. « Heu, « inquit, quæ ignorantiæ cæcitas, quæ alienatio mentis, « quæ debilitas sensuum, quæ infirmatio rationis tuo intel- « lectui nubem opposuit, animum exulare coegit... ut non « solum tuæ nutricis familiari cognitione tua intelligentia « defraudetur, verum etiam tanquam monstruosæ imaginis « novitate percussa, in meæ apparitionis ortu, tua discretio

1. *Natura*, cujus jam pulchritudinem describit. Cf. Boetium, Capellam, Archithrenium.

Digitized by Google

« patiatur occasum? Cur a tua memoria mei facis peregri-
« nari notitiam, in quo mea munera me loquuntur, quæ te
« tot beneficiorum prælargis beavi muneribus? quæ a tua
« ineunte ætate, *Dei auctoris vicaria*[1] rata dispensatione,
« legitimum tuæ vitæ ordinavi curriculum? quæ olim tui
« corporis materiam adulterina primordialis materiæ essen-
« tia fluctuantem, in verum esse produxi? cujus vultum
« humanæ speciei signaculo sigillavi?..... in qua ad corporis
« clientelam diversas membrorum ordinans officinas, sensus
« quasi corporeæ civitatis excubias vigilare præcepi, ut
« quasi exterorum hostium prævisores, corpus ab exteriori
« importunitate defenderent, et sic totius corporis materia
« nobilioribus naturæ purpuramentis ornata, ad nuptias
« gradiens, marito spiritui gratius jungeretur; ne maritus
« suæ conjugis deformitatem fastidiens, ejus refutaret con-
« jugium? Tuum etiam spiritum vitalibus insignivi poten-
« tiis, ne corpore pauperior, ejus successibus invideret. Cui
« ingenialis virtutis destinavi potentiam, quæ rerum vena-
« trix subtilium, in notitiæ indagine easdem intellectas
« concluderet. Cui etiam rationis impressi signaculum, quæ
« suæ discretionis ventilabro, falsitatis inania a seriis veri-
« tatis discernat. Per me etiam tibi memorialis ancillatur
« potentia, quæ in suo recordationis armario, nobilem cen-
« sum scientiæ thesaurizat. His ergo utrumque, corpus et
« animam, beavi muneribus, ut neuter vel suam gemeret
« paupertatem, vel de alterius affluentia quereretur. »

Cetera item in homines beneficia Natura soluto quidem, sed poetico sermone exponit; universa autem hæc beneficia evanescunt voluptate corporis. Hæc in bestiam vertit hominem quem Natura, ratione duce, in Deum *potentialiter* mutare nititur. Hujus autem luctuosi casus neque Natura, neque alius quisquam, nisi homo solus arguendus est; singularis enim pugna ordinata est inter sensuum libidinem et rectæ rationis consilium, ut ratio victoriæ præmium conse-

1. Natura, *Dei auctoris Vicaria*; subtilis hæc fictio partes ac munus Naturæ diserte præfinit.

Digitized by Google

quatur. Præmia enim victrici manu comparata, ceteris muneribus pulchrius elucent, muneraque empta laboribus jucundius delectant.

Expositis legibus supremis quibus continentur creata cuncta et Deo Creatori obtemperant, Natura quæ sit palam aperit : « Ego sum, ait, Natura, quæ meæ dignationis « munere, te meæ præsentiæ compotem feci, meoque sum « dignata beare consortio. »

Tum Alanus ad se reversus, Naturæ advolutus pedibus, eorum vestigia osculis signat ac tandem in hæc verba erumpit :

O Dei proles, genitrixque rerum,
Vinculum mundi, stabilisque nexus,
Gemma terrenis, speculum caducis,
Lucifer orbis.

Pax, amor, virtus, regimen, potestas,
Ordo, lex, finis, via, dux, origo,
Vita, lux, splendor, species, figura,
Regula mundi.

Quæ tuis mundum moderas habenis,
Cuncta concordi stabilita nodo
Nectis et pacis glutino maritas
Cœlica terris.

Quæ, noys (νοῦς), plures recolens ideas,
Singulas rerum species monetans,
Res togas formis, et amydemque formæ
Pollice form..s.

Cui favet cœlum, famulatur aer,
Quam colit tellus, veneratur unda,
Cui, velut mundi dominæ, tributum
Singula solvunt.

Quæ diem nocti vicibus catenans
Cereum solis tribuis diei,
Lucido lunæ speculo soporans
Nubila noctis.

Digitized by Google

Quæ polum stellis variis inauras,
Ætheris nostri solium serenans
Siderum gemmis, varioque cœlum
Milite complens.

Quæ novis cœli faciem figuris
Proteus mutas, aviumque vulgus
Aeris nostri regione donas
Legeque stringis.

Cujus ad nutum juvenescit orbis,
Silva crispatur folii capillo,
Et tua florum tunicata veste
Terra superbit.

Quæ minas ponti sepelis, et angis
Syncopans cursum pelagi, furore
Ne soli tractum tumulare possit
Æquoris æstus.

Tu viæ causam resera petenti,
Cur petis terras, peregrina cœlis?
Cur tuæ nostris deitatis offers
Munera terris?

Ora cur fletus pluvia rigantur?
Quid tui vultus lacrymæ prophetant?
Fletus interni satis est doloris
Lingua fidelis.

Respondet Natura se ideo a supernis cœlestis regiæ sedibus in terram devenisse, ut de nefandis hominum facinoribus cum Alano, quasi cum familiari et librario suo, lamenta communicaret et decerneret tanto sceleri qualis pœna irroganda esset. Lacrymarum autem causa alia non quærenda nisi hominis procacitas qui, quum cetera suis obediant legibus, solus suum Moderatorem aspernatur. Alanus tam officioso Naturæ animo inductus jam plura rogitare non dubitat. Miratur præcipue cur homo, ratione præditus, vitiis, libidini præsertim indulgeat. Natura hominis animum mollem et infirmum, effrenatosque libidi-

Digitized by Google

num impetus ostendit, et per ordinem de nimio vino, de comessationibus, de avaritia, de arrogantia, de invidia, de adulatione multa profert[1].

Alanus Naturam orat atque obtestatur ut remedia contra vitia præbeat.

Vix autem Natura orationem, respondendi causa, suscepit, quum vir sese offert nullius ætatis legi obnoxius, nunc enim juventutis vere pubescit, nunc maturioris ævi facies seria loquitur, nunc vultus senectutis sulcis videtur arari. Natura eum nomine signans cum salutis libamine *Hymenæum*, appellat, et in sua dextra dat locum.

Inter hæc virginali modestia insignis puella Naturam adire videtur; hujus, quam Castitatem vocari comperimus et sociarum, Temperantiæ, Largitatis, Humilitatis describitur forma, vestis, ornatus omnis.

Tum Natura cum Hymenæo virginibusque de misera hominum vitiis perditorum sorte colloquitur ac tandem statuit homines vitiis deditos *excommunicare* et *anathematizare*, ut deinceps virtutem colant ceteri et libenter amplectantur. Sed quia ritus solemnes omittere non decet *Genius* advocatur qui Naturæ in *sacerdotali ancilletur officio*. Hymenæus ad Genium mittitur cum epistola[2] sigillo consignata

1. Cf. cum Archithrenio.

2. Subsequens excommunicationis edictum et singularis hæc epistola digna quæ legantur forsan videbuntur, utrumque enim illorum temporum instituta et mores admodum redolet:

« Natura, Dei gratia, mundanæ civitatis prima Vicaria procreatrix, Genio sibi alteri salutem, eique per omnia serenatis fortunæ blanditiis amica.

« Quoniam similia dissimilium aspersione et similium sociali habitudine gratulantur, in te velut in speculo Naturæ radiante similitudine inveniendo me alteram, nodo dilectionis præcordialis astringor, aut in tuo profectu proficiens, aut in tuo defectu æqua iance deficiens, quare circularis debet esse dilectio, ut tu talione dilectionis respondeas. Patrati sceleris evidentia eloquitur. Vides enim qualiter homines originalis naturæ honestatem bestialibus illecebris inhonestent, humanitatis privilegialem exuentes naturam, in bestias, morum degeneratione, transmigrant, in veneris consequentia affectus proprios consequentes, gulositatis vorticibus naufragantes, cupiditatis vaporibus æstuantes, alia superbiæ fictitiis evolantes, invidiæ morsibus indulgentes, adulationis hypocrisi alios deaurantes. His viticrum morbis nemo medicinalibus instat remediis; hunc scelerum torrentem nemo obice defensionis castigat: hos facinorum fluctus nemo portus stabilitate refrenat.

Digitized by Google

in quo nomen imaginemque Naturæ peritia artificiosa exsculpserat. Quum inter virgines producuntur colloquia, ecce Genius, canente symphonia, advenit cum Veritate socia ; mutua gratulatione consummata, indicit silentium ; deinde vulgari veste deposita, sacerdotali indumento infulatus excommunicationem alta voce pronuntiat[1]. Suffragatur virginum chorus, lampadasque cereorum quas manibus tenet exstinguit. « Hujus imaginariæ visionis, ait Alanus opus absolvens, subtracto speculo, me ab exstasi excitatum in somno prior mysticæ apparitionis deliquit aspectus. »

Virtutes etiam tantam hostilis conflictus ingruentiam sustinere non valentes, ad nos tantum defensionis asylum et vitæ remedium confugiunt. Quoniam ergo res nostra communi degrassatione vexatur, et precibus melliens, tibi obedientiæ virtute præcipiens, et jubendo moneo, et monendo jubeo, quatenus omni excusationis sophismate relegato, ad nos matures accessum, ut mei mearumque virginum assistente præsentia, abominationis filios a sacramentali Ecclesiæ nostræ communione sejungens, cum debita officii solemnitate, severa excommunicationis virga percutias. »

1. Edictum excommunicationis :

« Auctoritate supersessentialis Usiæ, ejusque notionis æternæ, assensu cœlestis militiæ, Naturæ etiam ceterarumque virtutum ministerio suffragante, a supernæ dilectionis osculo separetur, ingratitudinis exigente merito, a Naturæ gratia degradetur, a naturalium rerum uniformi concilio segregetur, omnis qui aut legitimum veneris obliquat incessum, aut gulositatis incurrit naufragium, aut ebrietatis sentit insomnium, aut avaritiæ sitiens experitur incendium, aut insolentis arrogantiæ umbratile ascendit fastigium, aut præcordiale patitur livoris exitium, aut adulationis amorem communicat fictitium. Qui autem a regula veneris exceptionem facit anormalem, veneris privetur sigillo; qui gulositatis mergitur in abysso, mendicitatis erubescentia castigetur; qui ebrietatis lethæo flumine soporatur, perpetuæ sitis vexetur incendiis; ille in quo sitis incandescit habendi, perpetuatas egestates incurrat; qui in præcipitio arrogantiæ exaltatus spiritum elevationis eructat, in vallem dejectæ humilitatis ruinose descendat; qui alienæ felicitatis divitias tinea detractionis invidendo demordet, primo se ibi hostem inveniat; qui adulationis hypocrisi a divitibus venatur munuscula, sophistici meriti fraudetur præmio. »

Digitized by Google

§ 3. *Alani de Insulis Anticlaudianus.*

Hoc opus quod de *Officio viri boni et perfecti*, sæpius vero *Anticlaudianus* inscribitur, ad Claudianum poetam aliquatenus imitandum, non autem ad refutandum scriptum est. Claudianus enim *Rufinum* ex omnibus vitiis conglutinatum, Alanus vero *Hominem* novum omnibus virtutibus ornatum et perfectum exhibuit.

Quum autem in libro de *Planctu Naturæ* Boetii vestigiis maxime instat Alanus, in hujus poematis proposito, re, ordine et librorum numero Capellam plenius exprimit; pluribus locis scribendi genus Virgilii Virgilianorumque palam sed infeliciter æmulatur, maximam denique Archithrenii similitudinem refert; quæ omnia ex argumento locisque transcriptis apparebunt.

Initio primi libri Natura se ab hominibus desertam questa, optat creari hominem perfectum, quales essent mortales, si nunquam peccassent. Sed quia talis homo sine virtutibus existere nequit, convocatur Virtutum concilium, qua occasione data, omnes deinceps virtutes accurate describuntur:

Pacis alumna movet prima Concordia gressus[1],
Et pleno cuncta perfundens Copia cornu,
Et Favor, et multo perfusa favore Juventus,
Et Risus nostræ proscribens nubila mentis,
Et Pudor, et certo contenta Modestia fine,
Et Ratio mensura boni, quam semper adhærens
Felici gressu felix comitatur Honestas,
Et Decus, et cuncta trutinans Prudentia libra,
Et Pietas, et vera Fides, quæ fraudis in umbra
Nobis hypocritam mentiri nescit amorem;
Et virtus quæ spargit opes, quæ munera fundit,
Quam penes ignorat ignavam gaza quietem,
Nec dormire potest thesauri massa sepulti,
Sed mutat varios toties peregrina magistros.

1 Anticlaud., lib. I, cap. II.

Digitized by Google

Ultima Nobilitas, et formæ laude secunda,
A longe sequitur harum vestigia, quamvis
Nescio quid præsigne gerat, tamen hujus ad unguem
Non poterat reliquis facies æquare decorem :
Munere fortunæ melior; sed parcius ipsa
Gratia naturæ dotes effundit in illam.
Hæc superum soboles gressus maturat in arcem
Naturæ, proprioque domum chorus afflat honore.

Deinde describitur locus amœnissimus, floribus stellatus, arboribus consitus, fonte nutritus irriguo; supercilio eminet regia Naturæ sedes, auro, argento, variisque distincta lapidibus, et multiplici refulgens pictura hominum clarissimorum, Aristotelis, Platonis, Senecæ, Tullii, Virgilii et aliorum.

Ut ad hanc aulam convenit Virtutum caterva, Natura, intento consilio, prima verba facit depravatosque hominum mores plorat amare. Assentit Naturæ curia omnis; sermonem suscipit Prudentia prima, post eam reliquæ Virgines, quarum et formam laudat poeta et sententias refert. Probato Naturæ consilio, Prudentia aptissima videtur quæ in cœlum mittatur rogatura Deum ut animam mundam demittat in terras quam corpori novo copulet Natura, muneribus suis beent Virtutes omnes.

Post longam dubitationem Prudentia Concordiæ potissimum verbis accensa, legationem obit, statimque

Cogitat, exquirit, studet, invenit, eligit ergo[1]
Quæ via, quis collis, quæ semita rectius ipsam
Deferat ad superos, arcanaque regna Tonantis.
Utque minus possit gressus vexare viantis
Limitis asperitas, pes scandala nesciat, imo
Ut citius possit munus complere quod instat,
In quo percurrat cœlum, mare, sidera, currum
Imperat excudi Sapientia, nec pede lento
Affectum sequitur effectus, sed simul instant,
Nascitur effectus quum nascitur ipsa voluntas.
Sic matri prolique simul conceditur ortus.

1. Anticlaud., lib. II, cap. VI.

Digitized by Google

Cautæ, prudentes, pulchræ, similesque puellæ
Septem, quæ vultum sub septem vultibus unum
Reddunt, quas facies, genus, ætas, forma, potestas
Una tenet, tenet una fides, tenet una voluntas,
Assistunt Phronesi, Phronesis decreta sequuntur;
Ejus in obsequio semper fervere paratæ.

Septem igitur artes liberales ædificare jubentur currum qui vehat Prudentiam. Quæ ad unamquamque artem pertinent exponuntur ut in carminibus quæ jam supra enarravimus: Grammatica facit temonem, axim Logica, Rhetorica gemmis et argento temonem ornat axique varios flores insculpit. Arithmetica primam rotam, Musica secundam, Geometria tertiam, Astronomia quartam conficit; denique Concordia partes disponit omnes et connectit. Sine mora adducuntur equi et auriga Ratio :

Tunc ratio monitu Naturæ docta docentis [1]
Quinque sibi præsentat equos quos fœderat illa
Fœdere complacito, concordi pace, fideli
Connexu.

Equi autem sunt quinque sensus hominis : visus, auditus, olfactus, gustus, tactus; quorum suis quisque dignoscitur dotibus :

Primus equus[2] cultu, forma cursuque sodales[3]
Prævenit, et reliquos[4] proprio submittit honori.
Cultus, forma, color, species, audacia, cursus
Ditat eum, nec in hoc patitur sibi damna, quod illum
Respersus candore color subrufus inaurat.
Non meat, imo volat, nec enim discrimine passus
Inscribit terram, nec gramen curvat eundo,
Sed celeri cursu terram delibat euntis
Passus, et in terra vestigia nulla relinquit ;
Sed levis aura suos stupet invenisse volatus,
Miraturque sui Boreas torpescere cursum.

1. Anticlaud., lib. IV, cap. II.
2. Visus.
3. Anticlaud., lib. IV, cap. II.
4. Ceteri sensus, auditus, olfactus, gustus, tactus.

Digitized by Google

Aura cadit, lentescit avis, volucrisque sagittæ
Cursus hebescit, equi lentescunt omnia cursu,
Anticipat monitum calcaris, sponte meatum
Aggreditur, facilique tamen frenatur habena.

Similiter ceteri describuntur sensus. Ratio equos fœderat temoni, urget

Effrenes, ligat indomitos, frenatque vagantes[1]
Primum sternit equum, stratum conscendit, habenis
Corrigit excursus, in virga visitat, instat
Verbere, voce, minis, illum vix illa quietum
Reddit, sed tandem superatus vincitur....

Postquam compositus est ordo, Phronesis ipsa ad currum conscendendum se componit:

Assidet, applaudit, congaudet, complacet illi[2]
Curia tota simul, multoque favore recessum
Virginis exhilarat, reditus felicius omen
Orat, et eventus reditu meliore serenos.
Oscula multiplicat repetens, et in ore sigillum
Imprimit expresso, complexu brachia nectens,
Colla ligans, animoque simul cum voce salutans
Illam, congeminans iterat repetitque salutem.
Tum monitu Rationis adest Prudentia, currum
Conscendit, currusque decor cumulatus abundat
Plenius, et roseo flammatur sidere vultus.
Instat equis Ratio, virga dictante jugales
Aggrediuntur iter, currus subtollitur, exit
Terras, et tenuem currens evadit in auram.

Per totam viam Prudentia singularum rerum causas disquirit, materiam et originem nubium quæ sunt amictus quidam terræ, ventorum causas et pluviæ, quæ nivium vel grandinis origo, quis ortus fulminum. Tum occultos aeris aditus penetrans, videt etiam aerios cives, dæmones discurrentes per aera, et hominibus insidiantes.

1. Anticlaud., lib. IV, cap. IV.
2. Anticlaud., lib. IV, cap. IV.

Digitized by Google

Mox primis spatiis transmeatis, ad superas pervenit regiones, ubi nulla nubes, nulli certant venti, sed gratior aura, cuncta silent, conspicitur Luna, area Solis, sphæra Veneris et Mercurii, palatium Martis, Jovis regia, sphæra Saturni; firmamentum denique in quo stellæ radiant, zodiacus cum signis suis.

Sed in hac sublimi regione jam ultra non patet aditus, quum et Ratio viam ignoret, et equi ulterius ascendere non valeant; animo fluctuat Prudentia quid actura sit, quum puellam stantem in cœli supercilio videt aditque sine cunctatione, vultu submisso salutat, et itineris causa exposita, ducem requirit.

Hæc puella, Theologia nomine, Prudentiam benigne excipit et se comitem offert, modo deserantur equi et currus; attamen secundus equus[1] Prudentiæ relinquitur, cui insidens cum viæ duce pergit ad limen Jovis. Aquas super firmamentum sitas miratur nec *fluxu labiles*, nec in æthere suspensas, sed potius crystallino rigore solidatas. Mox ad empyræum evecta, ordines angelorum et ministeria considerat; suspicit sanctorum gloriam, beatam Virginem super omnes choros Angelorum et Sanctorum ordines exaltatam, tandem humanam Christi regnantis naturam. Sed nimis fulgore percussa, nec amplius tantum splendorem ferre valens, lethargo pressa decidit. Dux Theologia patienti compatitur et sororis, *Fidei* scilicet auxilium implorat :

Hæc igitur magis accedit propiusque jacentem[2]
Visitat et quærit languoris semina, tentat
Cuncta, locum, tempus, causas, symptomata morbi
Caute disquirens, cujus vestigia tandem
Invenit, et Phronesim lethargi somnia passam
Noscit, ut exterius languoris signa fatentur.
Inventa radice mali, morbique reperta
Materie, disquirit adhuc quæ causa salutis
Languoris causas valeat secludere, pestem
Perdere, supplantare luem, morbumque fugare.

1. Visus Auditus.
2. Anticlaud., lib. VI, cap. II.

Digitized by Google

Supercœlesti quadam potione Prudentia tandem a languore revocatur, sed quum empyræum fulgur sustinere nequeat, Fides solers ad artem recurrit et Prudentiæ offert speculum[1] in quo omnia cernat, obscure tamen, quæ in cœlo exstant miracula innumera; varia Dei judicia perpendet, prædestinationis causas rimatur obiter, denique in arcem Trinitatis ascendit, ubi vix sustinens immortale Dei jubar, flexis genibus vultuque supplici, submissa voce, gestuque tremulo Naturæ Virtutumque votum exponit Prudentia. Conqueritur totius mundi perversitatem, virtutes percenset quæ novum hominem exornent:

Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet,

Inquit, ut Dei misericordiam captet. Qui facile exoratus, juxta æternum mentis exemplar animam creat, creatam Prudentiæ commendat monens ut eam caute in terras deducat, ne planetæ alicujus sævientis maleficio corrumpatur.

Prudentia, quum dignas egisset gratias, voti compos et hilaris, gradum properans per notam viam ad inferiora descendit. Occurrunt Ratio et Comites quas reliquerat, currum rursus conscendit et loca transit longinqua,

.... tandem singula vincens[2]
Immensum consummat iter, votisque sororum
Exspectata diu Prudentia redditur; offert
Naturæ cœleste datum; miratur in illo
Artificis Natura manum, munusque beatum
Laudat, et in dono laudatur gratia dantis.
Occurrit Phronesi Virtutum turba, suoque
Pendet in amplexu, collum ligat, oscula præbet.
Felicem laudat reditum, quum grata labori
Reddatur merces, felici fine laborem
Concludens, nec jam risus et gaudia vendat
Spem timor offendens, quum res sperata timorem
Sorbeat, et longo succedant gaudia voto.

1. Apostoli verbis alludit : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. » (I Corinth. XIII, 12.)
2. Anticlaud., lib. VI, cap. VIII, et lib. VII, cap. I.

Digitized by Google

Natura statim ex elementis nobile corpus format :

Omnes divitias formæ diffundit in illo [1]
Naturæ prælarga manus, post munera pauper
Pene fuit Natura parens, quæ dona decoris,
Formæ thesauros vultu deponit in uno.
Spirat in hac forma Narcissus, et alter Adonis.

Concordia, Arithmetica et Musica juvantibus, jungit animam corpori et tandem

.... novus formatur homo, miratur in illo [2]
Se tantum potuisse potens Natura stupensque
Vix opus esse suum credit quod fecerat ipsa.

Omnes tum Virtutes sua in hunc hominem dona conferre certant. Pudicitia, Modestia, Ratio, Honestas, Sophia et Ancillæ, Grammatica [3], Logica, Rhetorica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astrologia, Theologia, Pietas et Fides, tot et tantis eum donis exornant ut ea ne nomine quidem distinguere possit quisquam. Nobilitas vero ultima, quia ex

1. Anticlaud., lib. VII, cap. I.
2. Anticlaud., lib. VII, cap. II.
3. Grammaticæ tantum liceat percensere dona quibus et *poeta* evadit novus ille homo :

Nec solum Phronesis confert sua dona, sed ultra
Procedit, jubet ancillas exponere quidquid
Possunt, et quodam certamine fundere dona.
Grammaticæ doctrina prior præcepta Sophiæ
Complet, et in juvenem descendit tota, nec in se
Fit minor, imo magis crescens grandescit in illo.
Omne quod ipsius decernit regula, canon
Præcipit, et dictat artis censura magistræ,
In dotem juvenis confert, ne verba moveret
Citra grammaticam, ne verbo barbarus erret,
Barbaries quem nulla notat, sic ergo loquendi
Recte, scribendique viam sectatur, et artem
Assequitur, damnat vitium, toleratque figuram :
Perfundensque virum Pegasei nectare fontis,
Turba poetarum docet illum verba ligare
Metris et dulci carmen depingere rhythmo.
(ANTICLAUD., lib. VII, cap. V.)

Digitized by Google

se nihil proprium habet, a matre Fortuna quod largiatur exquirit. Inde sumpta occasione, domus, habitus et rota Fortunæ describuntur. Filiæ annuens Fortuna ipsa suum quoque munus impensura advenit; cui assistit Ratio vigil, ne Fortuna, livore ducta, quid fermenti interserat.

Jam perfectus erat *cœlicus* ille homo; cujus rei fama per orbem dilapsa, horret doletque Alecto et Vitiorum congregat concilium; accurrunt tartarei proceres, alumni nequitiæ, fabri scelerum et magistri, damna, doli, fraudes, furta, ira, odium, discordia, morbus, tristitia, luxus, egestas, luxuries, livor, fastus et ipsa senectus. Postquam caterva consedit, Alecto de conversione hominum vehementer conqueritur, et hominem modo creatum acriter impugnandum censet. Prima prælium committit Discordia cum famulis, livore, rabie, furore;

> Jam se prospiciunt acies, jam prospicit hostem[1]
> Hostis, et aspectus animos succendit in iras.
> Ignescunt animi, mentes audacia major
> Erigit, exsurgunt iræ; jam mente cohortes
> Se superant, animi jam mutua vulnera fingunt,
> Mens ardore prius pugnat quam dextera ferro,
> Impatiensque moræ vitiorum turba priores
> Arripit insultus pugnæ, primumque furorem
> Excitat, et magnis clamoribus intonat iras
> Tota cohors, verboque prius consurgit in hostem
> Quam ferro, verbis bellum prælibat, et illi
> Gestu, voce, minis insultat.

Homo justus vim vi strenue repellit, Discordiam aggressus primam obtruncat; deinde cetera vitia, Discordiæ comites commilitonesque perimit et fugat. Secunda Paupertas cum sodalibus hominem invadit. Qua superata, Senectus dat impetum, sed sine vulnere vincitur et, armis dejectis, innixa baculo fugit. Procedit Fletus ulturus sodales, sed per risum vincitur, atque inde ex ordine singula conteruntur Vitia : Venus per fugam, Excessus per Moderantiam,

1. Anticlaud., lib. VIII, cap. VII.

Digitized by Google

Luxus et Gula per Sobrietatem, Imprudentia per Prudentiam, Impietas per Pietatem, Fraus per Fidem, et Avaritia per Largitatem.

Jam scelerum superata cohors in regna silentum[1]
Arma refert, et se victam miratur, et illud
Quod patitur vix esse putat, nec creditur illi
Quod videt, et stygias fugit indignata sub umbras.

Jamque Virtutes sedem stabilem ac domicilium collocant in terris mundumque regunt, in cœlum mutatur ipsa tellus:

Nec jam corrigitur rastro, nec vomere campus[2]
Læditur, aut curvi deplorat vulnus aratri,
Ut tellus avido quamvis invita colono
Pareat, et semen multo cum fœnore reddat.
Non arbor cultum quærit, non vinea falcem,
Sed fructus dat sponte novos, et vota coloni
Fertilitate premit; spes vincitur ubere fructu.
Gratis poma parit arbor, vitisque racemos,
Et sine se natos miratur pampinus uvas;
Et tunicis egressa suis rosa purpurat hortos,
Nec spinam matrem redolet, sed sponte creata
Pullulat, atque novos sine semine prodit in ortus.
Sic flores alii rident, varioque colore
Depingit terram florum primæva juventus.

His verbis explicit liber, superadditur tamen epilogus, ut Archithrenius fecerat, opus contra zoilorum dentes muniens :

O mihi continuo multum sudata labore,
Pagina, cujus adhuc minuit detractio famam;
Vive, nec antiquos tentes æquare poetas,
Sed potius veterum vestigia semper adorans[3].
Subsequere, et lauris humiles submitte myricas.

1. Anticlaud., lib. IX, cap. VIII.
2. Anticlaud., lib. IX, cap. VIII.
3. Cf. Stat. Theb., lib. XII, v. 819 et seq.

Digitized by Google

Jam ratis evadens Scyllam monstrumque Charybdis
Ad portus tranquilla meat, jam littore gaudet
Navita, jam metam cursor, tenet anchora portum;
Nauta tamen tremebundus adhuc post æquoris æstum
Terrenos timet insultus, ne, tutus in undis,
Naufragus in terra pereat; ne livor in illum
Sæviat, aut morsus detractio figat in illo,
Qui jam scribendi studium pondusque laboris
Exhausit, proprio concludens fine laborem.
Si tamen ad præsens fundit sua murmura livor,
Et famam delere cupit, laudesque poetæ
Supplantare novas, saltem post fata silebit

Digitized by Google

EPILOGUS.

1. Archithrenius non est carmen sui generis, a ceteris omnium ætatum carminibus abhorrens, sed arcta propinquitate et manifesta similitudine conjunctum est cum pluribus tam antiquis quam ejusdem ætatis poematibus.

2 Non casui et libidini cuidam scriptoris debetur Archithrenius, sed effloruit ex illorum temporum studiis litterarumque ratione.

3. Gravibus innumerisque testimoniis constat artem poeticam ferventi studio viguisse in scholis XII^mi sæculi, multosque viros doctos vel peracto scholarum curriculo, studiis humanitatis ac carminibus legendis scribendisque vacasse.

4. Valde autem probabantur tunc carmina quæ, variis similitudinibus et fictionibus abundantia, continua quadam translatione allegorica constabant.

5. Si quæras cur hoc carminum genus tanti facerent, ad ceteras causas quibus fit ut homines figmentis et translationibus delectentur, hoc potissimum et peculiare adjungas, quod *Satiricon* Martiani Capellæ, et libri Boetii de *Consolatione Philosophiæ* tum maxima auctoritate florebant et continuo evolvebantur.

6. Hoc autem et illis carminibus et eorum exemplaribus antiquis commune ac proprium est, ut Naturam, Virtutes, Philosophiam et Artes varias humano vultu indutas, aptis insignibus ornatas, fabulæ cujusdam commentitiæ actores inducant.

7. Ceterum omnis ars poetica tum fere constabat imita-

Digitized by Google

tione : veterum poetarum carmina assidue legere, addiscere, ut potuere, æmulari contendebant. Sed neque caute, neque cum judicio, magna vero levitate et insano argutiarum amore captabant veterum carminum vitia magis quam virtutes, quinimo et virtutes in vitia plerumque vertebant.

8. Laborant autem vitiis quæ sunt omnibus quidem imitatoribus communia : carent enim pierio calore, divino afflatu, cœlesti denique illo mentis instinctu, sine quo frustra omne versificationis artificium, omnis rerum et verborum copia comparatur. Inde frigent personæ quæ facili vanoque mentis acumine, semper uno tenore iisdem argutiis allegoriisque fictionibus inducuntur exsangues et sine nervis.

9. Desideratur primum veritas simplex et aperta, gratia æquabilis, et quæ satietati occurrat varietas; abundant ampullæ, tumor, verba nova, inæqualis rerum distributio et confusio, minutula eorum quæ ad rem non pertinent descriptio et enumeratio, amplificationes immodicæ, legentibus tædium, immo nauseam afferentes, in litterarum mutationibus, ambiguisque vocabulorum significationibus lusus pueriles, innumeræ denique rerum ac verborum argutiæ infelices. Sublimia canere putant quum turgida proferunt ; splendida, quum fucatum adhibent colorem ; plena et perfecta, quum nihil in describendo omittunt; sonorum tinnitus quasi eximia carminum ornamenta appetunt. Quarumdam quantitates syllabarum mutant, non quidem ex suo arbtrio, sed ad magistellorum prava præcepta. Latinitate utuntur sui ævi, id est, barbara, cujus vitia notare jam supervacaneum foret.

10. Quamvis plurimum intersit inter istos imitatores et vates felicioris ætatis qui artis et præceptorum ignari, natura et ingenio valuerunt, nonnullæ tamen virtutes, vel passim per varios locos sparsæ, vel in operis summa enitentes, delectationem quamdam afferre possunt, ita ut in his aliquid operæ consumpsisse non pœniteat.

FINIS.



Digitized by Google

INDEX.

PROŒMIUM 1

CAPUT I. De institutione poetica XII[i] sæculi 3

§ 1. De optimarum artium studio et ratione 3
§ 2. De septem artibus earumque appendicibus 6
§ 3. De artis poeticæ cum ceteris artibus cognatione 10
§ 4. De scholarum disciplina 11
§ 5. De clericis qui, peracto scholarum curriculo, litteras et carmina non omittebant 19
§ 6. De auctoribus laudatissimis 25
I. Auctores triplici ordine distincti 25
II. De Martiano Capella 26
III. De Boetio 29
§ 7. De artis poeticæ ratione 30

CAPUT II. De Archithrenio carmine 37

§ 1. De Archithrenii carminis auctore 37
§ 2. Poematis argumentum et divisio 42
§ 3. Carminis prolusio 44
§ 4. Iter Archithrenii Naturam quærentis 47
§ 5. Archithrenius philosophos septemque Græciæ sapientes audit de virtutibus et vitiis disputantes 59
§ 6. Naturam tandem invenit Archithrenius. Carminis conclusio. 64

CAPUT III. De ceteris ejusdem ætatis poematibus Archithrenio similibus. 69

§ 1. Henrici Septimellensis carmen de Diversitate Fortunæ et Consolatione Philosophiæ 69
§ 2. Alani de Insulis liber de Planctu Naturæ 75
§ 3. Alani de Insulis Anticlaudianus 83

EPILOGUS 93

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

PARISIIS. — EX TYPIS LAHURE,
Via dicta de Fleurus

Digitized by Google